HISTORIA
SEV VERISSIMA
A calumniis multorum vindicata,

[illegible] M. VLPII TRAIANI AVGVSTI

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

AVCTORE F. ALFONSO CIACONE
HISPANO BIACENSI,

[illegible]

[illegible]

AD [illegible]
GREGORIVM XIII.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Apud Dominicum Nicolinum.
M D LXXXIII.

+

= No tiene que expurgar, segun el Chatalogo del
año de. 640, que no hace mencion de este tratado,
ni de su Auctor ——

HISTORIA
CEV VERISSIMA
à calumnijs multorum vindicata,

QVAE REFERT M. VLPII TRAIANI AVGVSTI
animam precibus Diui GREGORII Pontificis Romani
à tartareis cruciatibus ereptam.

QVOD D. HIERONYMVS STRIDONENSIS
S. R. E. Presbyter fuerit Cardinalis tractatus duo, alter locupletior
Secundo, alter nunc primum editus.

AVCTORE F. ALFONSO CIACONE
HISPANO BIACENSI,
Doctore Theologo instituti Prædicatorum, & Romani Pontificis Pœnitentiario.

AD SANCTISSIMVM D. NOSTRVM
GREGORIVM XIII.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Apud Dominicum Nicolinum.
M D LXXXIII.

GREGORIO XIII.
PONT. OPT. MAX.

F. ALFONSVS CIACON, minor suus Pœnitentiarius, omnimodam, felicitatem precatur.

DIVTIVS me torsit, BEATISSIME PATER, cunctos fermè Christianos authores, qui Vrbis Romæ historias tradidere, id summopere curasse, ut veteris Vrbis simulachra, ornamenta, ruinasque describerent, monumenta autem religionis, quæ innumera prope, inibi reperiuntur, silentio præteriisse: nam duram est creditu neglexisse quasi sacra non longissimè præstarent profanis, aut profana digna ex ulla parte essent, quæ cum sacris conferrentur. Quod in causa præcipue fuit, ut rerum memorãdarum uix sit aliquod vestigium relictum, aut ulla inter

hominesnostri seculi memoria extet; cum pluri ma, inter tot Vrbis direptiones & incendia perierint: bonam partem, quæ superfuit, similibus iacturis expositam, parem aliquando calamitatem passuram timeamus, nisi maturè in literarum monumenta translata, perpetuitatem aliquam fuerint adeptæ. Quot enim Vrbis Basilicas, magnificentissima templa, martyrum, aliorumq; sanctorum reliquias, translationum ipsorum instrumenta, aut tempus rerum edax nō absumpsit, aut barbarus hostis nō vastauit, diripuit, incendit, & dispersit? Quotus enim exi stit, non dico exterus, sed ciuis etiam, vrbisve incola, qui vniuersos sanctorum thesauros passim in ædibus sacris reconditos norit, rerumq; omnium sacrarum notitiam sit uel mediocrem assequutus? Nihil magis Romani votis concipiunt, quàm rerum piarum, quas penes se frequentissimas habent, exactam cognitionem adipisci; nihil magis exteri exoptant, quibus præcipuè non est Romam adeundi facultas: earum enim rerum notitia plenius & clarius adepta desiderium cuiusque accenderetur magis, Vrbem sacraq; ipsius loca inuisendi.

Hinc

Hinc versus eam ingẽtior excitaretur affectus; & ad pietatem, religionemq; tenacius retinendam inducerentur, facie præsertim Pontificis visa, cuius conspectus solet plerunque viris pijs summam reuerentiam submißionem & gratiam conciliare. Multò enim fortius præsentia mouent, quàm quæ absentia referũtur. Proinde BEATISSIME PATER, de Vrbis ornamentis sacris, colligendis, & ad præsentium posterorumque memoriam refricandam in vnum redigendis studiosè incubui. Annum enim integrum, duobus scriptoribus comitatus in ea re insumpsi, trecentis Basilicis, templis, locisq; alijs sacris, diligenter perlustratis, (totidem enim hodie in Vrbe, ex plurimis supersunt.) ex archiuis, protocollis, vetustis instrumentis, marmoreis lapidibus, veterum, recentiumque historiarum, præsertim ecclesiasticarum monumentis, quid vbique suo tempore locorum illorum gestum, quæ illorum origo, eiectio, dedicatioq; prima extiterit, quæ martyrum & aliorum sanctorum exuuiæ, vel ab initio inibi reconditæ, vel aliunde translatæ: qui viri sanctimonia, dignitate, genere, doctrina, militia, arteve alia

ve alia clari & insignes inibi sepulti, cum ipsorum elogijs & epitaphijs adiunctis, ut nihil ultra scitu dignum ex ijs locis desiderari possit: ut res Urbis sacræ ita eo ordine cunctis innotescerent, & ad posteritatem facilius & magis integræ peruenirent. Verum quia labor hic, gratus ne, an ingratus tuæ Beatitudini sit futurus ignoro, tandiu illum differendum & maturandm censui, quandiu tuus non assensus accederet. Interim tamen, ne vacuus coram clementissimo Principe comparerem, munusculum offero exiguitati ingenioli mei non absimile. Verum quia in gloriam Diui Gregorij cedit, non omnino conspectu tuæ sanctitatis indignum. Historiam enim illam continet diligentius solito tractatam, Traiani Cæsaris animam à cruciatibus tartareis, precibus Diui Gregorij ereptam. Quam licet nonnulli perperam lacerent, falsitatisque traducant: ego pro virili ceu verissimam grauissimorum authorum testimonijs tueor, singulisque obiectionibus satisfacio. Cum autem singularem affectum erga illum virum sanctissimum geras, non dubium quin ea res sit tibi gratissima futura. præsertim

eius,

eius, cuius nomen felix & faustum bonique hominis, successor in sede Pontificia factus, simulque mores imbuisti: dum summum studium in pietate, religioneque Christiana, vbique terrarum dilatanda, dißidÿsque hæreticorum circa ipsam exortis, componendis adhibeas, gratissimam cunctis aurem præbeas, auscultesque singulos benignissime, in agendis prudentiam & dexteritatem, in discernendo acre iudicium, in distribuendis ecclesiasticis sacerdotÿs iustitiam & æquitatem, in rebus omnibus modestiam cuncti admirentur; adeò vt literati & probi, nullum Pontificatum aut sæculum fuerint felicius adepti; nullaq́ illis aurea ætas florentior affulserit. In ornanda Vrbe, collegÿs & templis erigendis dirutis & collapsis reparandis, pontibus, fontibus, structuris, picturis, magnificentiam cuncti commendant, vt nihil ad Pontificatus tui gloriam, quam longæuitas, aut accedere, aut desiderari posit. Qua fœdere inter Christianos Principes, tua auctoritate icto, Turcarum nomen & perfidiam deleas, religionisque cuncta disidia componas, vt te in terris Pastorem

vnicum,

vnicum, cunctus grex, orbisque vniuersus terrarum concors, & pacatus agnoscat. Viue felix multos annos Pontificum omnium mitissime. Romæ Pridie Nonarum Octobrium, anno restitutæ salutis. M D LXXXIII.

HISTORIA ILLA,
CEV VERISSIMA,
à calumnijs vindicata, quæ refert,

M. VLPII TRAIANI AVGVSTI ANIMAM PRECIBVS DIVI GREGORII PONT. ROM.

A Tartareis cruciatibus ereptam.

REM cunctis facturum me arbitrabor gratissimã, si historiam illam, quæ circunfertur, fuisse M. Vlpij Traiani Augusti animã precibus diui Gregorij Roma. Pont. à cruciatibus tartareis ereptã salutemq; consecutam, pro rei dignitate diffusius tractarẽ: & quid fidei & veritatis habeat, quibusve authorum testimo niis innitatur, expenderem; Video enim plerosq; nostra ętate viros clarissimos theologos & historiographos, partim de ea historia dubitare, partim inficiari, & nõ paucos ceu vulgi commentum, anilemq; fabulam prorsus reijcere & deridere. Theologi nanque, quibusdam rationibus inducti, historiographi, quod authorũ testimonijs destituti videãtur, in eas angustias adiguntur. Verùm si rationes à theologis aliquot in-

ductas non obesse veritati historiæ, neque deesse testimonia authorum præclara, quæ rem gestam confirment, indicauero, videbor pro virili animorum dubitationi fecisse satis, & Traiani felicitatẽ à calumniis illorum vindicasse, qui eam gloriam licet non odio aut inuidia, opinione tamen aduersa, tam diuo Gregorio, quàm ipsi Traiano Cęsari eripere moliuntur. Neque aliena erit huiusmodi tractatio, si victorijs Dacicis à me alibi tractatis, & hanc multo illis insigniorem annecterẽ, quæ Dei optimi maximi liberalitate & clemẽtia, precibusq́ue sanctissimi Pontificis Traiano de æterna morte, principibusq; tenebrarum porta est. Victoriis, victoria felicior; triumphis, triumphus præclarior accedit, & lætior. fieri etiam potuit, vt Traianum in Dacicam expeditionem, priorem, seu posteriorem proficiscentem, vidua ius exigẽs tunc primũ interpellarit, quæ potissimum occasio fuit diuo Gregorio pro ipso ad Deum preces fundendi: munusq́ue assequendi, quod immortalem esset sancto pontifici gloriam paraturum. Cuius etiam particeps existit Beatissimus Pontifex Romanus Gregorius XIII. qui illius & nomen, & sedem probitate, & doctrina successor tenet. In tractando autẽ argumento proposito ordinem hunc potissimum sequar, vt prius historiam recenseam, quæ occasio fuit diuo Gregorio orãdi pro Traiano, deinde ipsius

ſius Traiani liberationem ſubſecutam, quã multis grauiſsimorum auctorum teſtimoniis confirmabo; & demum rationes, quæ recẽtiores aliquot viros, pios, & doctos mouerunt, quo minus in eãdem nobiſcum ſententiam deſcenderent diſſoluam: vt hiſtoriam eam celebrem, totoq; orbe cantatiſsimam, iam non quiuis pro libito vt figmentum refellere, ſed recipere & venerari vt veriſsimã & certiſsimam ſummopere deinceps curet: & ita finem huic tractationi demum imponam. A Traiani igitur hiſtoria, viduæ ius reddentis, primum exordiar. Traiano Cæſari Auguſto in Dacicam, priorem, aut poſteriorem, vt cenſeo, expeditionẽ proficiſcenti, nondum vrbem egreſſo, mulier occurrit, ſenio confecta, pannis ſordida, vultuq; lugubri, ipſumq́ue militum aciebus ſtipatum, Senatu Populoq́; Romano honoris gratia proſequente, cœpit valide; lachrymis obortis, properantem compellare. Traiane Princeps pijſsimè fœminæ viduæ, & in ſumma egeſtate conſtitutæ, teneat te miſeratio. Te imperium moderante, iuuenes nequam natum vnicum, quem vnicè diligebam, innoxium quidem illum interfecerũt: baculum ſenectutis meæ, quo vnico ſolatio in ærũnis vtebar, qui ſolus ſolitudini & inopiæ meæ ſubueniebat. Interfectores humilitatem & tenuitatem meã cõtemnentes, non ſolum mihi ſatisfacere renuunt,

ſed & necem,ſi ius perſequar meum, comminantur. Iudices in aduerſarios,licet carceribus mancipatos, precibus vel largitionibus corrupti inclinant:nullum proinde ſupereſt ſuffugium, prçterquam ad te Cæſar æquiſsimè accedẽdi, iudiciumq́ue à te ipſo,qui præſtare potes, & voles, poſtulãdi. Qui pro inſigni tua probitate & pietate, cũ viuentem filium reddere nequeas, illius tamen ſanguinem iuxta legum decreta vindicabis. Subſtiterat parumper Cçſar, orationemq́ue çrumnoſç viduæ intentè audierat animusq́ue illius & deſiderium prona erant ad ius aniculæ dicendum, ſed auocabat temporis importunitas, tantusq́; profectionis ſuſceptæ ſplendor & apparatus, conſiſtere enim cunctos neceſſè erat, Cæſare conſiſtente, & interturbari procedẽtium & ſtipantium ordines, atque confundi. Quamprimum à bello confecto in vrbem reuerteretur filij necem egregiè vindicaturum ſe, Cæſar pollicetur. Reclamat paupercula vidua, ſi tu in prælio Cæſar occubueris, quis filij mei necẽ vindicabit? Qui mihi, inquit Traianus, in Imperio ſucceſſerit. Quantam, fœmina ait, gloriam tibi acceſſuram putas, aut quales tibi erunt gratiæ habendæ, ſi munus, quod ipſe præſtare tenebaris, & cuius cauſa es in Imperium aſcitus, ſucceſſori relinquas? Melius vtique foret vt hanc iuſtitiæ & æquitatis opinionẽ tu ipſe conſequereris,

quam ad ſucceſſorem quempiam cum indignitate tranſmitteres. Cæſar ratione viduæ conuictus, miſericordiaq́; pariter commotus, equo deſcẽdit, tandiuq́; inibi conſtitit, quandiu negocium examinaret, iusq́; paupercula fœminę expoſcenti diceret. Cumq́; ſuaderetur Cæſari à pleriſq; accelerari profectionem oportere, ipſe tamẽ pedem de loco non mouit, donec officium, quod cœperat, expleſſet. Reos nanq; catenis vinctos, è carcere eductos coram ſtatui iuſsit, accuſatio & probationes referuntur, breue tempus rei in defenſionem ſuſcipiunt: & tãdem criminis patratores deprehenſos capitaliter damnauit. Verum deprecãtibus obnixè qui aderant, pro illorum ſalute, viduę magnam pecuniæ ſummam ex proprio fiſco, quæ detrimẽtum amiſsi filii reſarciret, numerari præcepit, & adoleſcentes aliter quam morte mulctatos dimiſit: tum quod Principis clementiam dedecere putaret præſentes & qui Cæſaris benignitatem precabantur ſupplices, lętaliter punire, tũ quod ominoſum & infauſtum iudicaret, à ſanguine ciuium Romanorum id bellum & profectionem auſpicari. Vidua igitur accuſatrix, pecunijs ditata, iuuenes rei moderatione ſupplicij lætiſsimi abſcedũt, lenitatem & manſuetudinem Principis ſatis experti: cunctis qui aderant, exemplum rei geſtæ pietatemq́; Cęſaris ſummopere & admirantibus &

com-

commendantibus: & ne monumentum tam egregij facti posteros lateret in marmore scalptum, vel in æs incisum in foro eiusdem Traiani Senatus Romanus collocauit: nam pictura in loco publico, & iniurijs cœli exposita, non tot vtique annos perdurasset, quot fluxerunt ab obitu Traiani vsq; ad põtificatum Gregorij, videlicet ccccIxxiij. Nec obijciat mihi quisquam Dionem Cassium Græcum historicum nunquam silentio præteriturum rem adeo insignem, si ita, vt fertur, gesta esset: nam is solus superfuit ex ijs qui vitã Traiani descripserunt: cæteri interciderunt. Sed is non videt Dionem de vita Traiani non extare, sed epitome duntaxat à Xiphilino ex ipso Dione contracta. Potuit nanq; Dion scribere, quod Xiphilinus breuitati studens subticuit. Veteres enim aliquot authores historias rerum gestarum in epitome redigentes, magno posteris detiimento fuere. Non careret nostra ætas Trogo Pompeo, non Tito Liuio, si alterum Iustinus, Lucius Florus alterum in compendium nõ restrinxissent. Sed faciamus ita esse Dionem nihil de hac re scripsisse, continuò subsequetur, historiam, quam retulimus veram non esse? Quasi cuncta solus ipse debuisset tradere, nihilque alijs scribendũ relinquere? Vnicus author vix cuncta complectitur, & multo plura prætermittit, quam scribat. Quid enim insignius de Traiano scribi

poterat,

poterat, quam quod pueros quinq; mille ex omni Imperio selectæ indolis ita ali, & à præceptoribus erudiri curauerit, vt ea in facultate, eo in genere vitæ instituerentur, in quod magis natura procliues essent. Quod vtique Dion vel Xiphilinus prçterijt, Plinius in panegyri cõmemorat. Traiano vità functo Senatus Hadriano successori triumphos de Parthis & Armenis deferebat, ipse modestia vsus recusauit, quare statuã Traiani vehi more triumphantis fecit, ne post mortem triumphi amitteret dignitatem, de Parthis & Armenis, quos ipse debellarat, rebellantesq́; Imperio subiecerat. Quod Dion subticuit, alij prodidere. Quotam partem gemini belli Dacici Dionem putas scripsisse? cum tanta ibi strenuè gesserit, Traianus, quæ vix multis voluminibus comprehendi queant? Sed dices Dion in vita Hadriani, & Xiphilinus in eius epitome, mulierculæ meminerunt, quæ hoc idem ab Hadriano, quod altera à Traiano petiit & impetrauit. Nam cùm ei mulier fortè occurrisset in via, ab eoque, vt se audiret contenderet, quanquã primo sibi esse ocium negaret, tamen vbi mulier ita exclamare cœpit: noli igitur regnare, cõuersus libenter eam audiuit. Pariter igitur & alterius tempore Traiani meminissent: qui huius, sęculo Hadriani retulerunt. Fateor hoc tẽpore Hadriani contingere potuisse, verum suspicor errore Dionis vel

Xiphilini

Xiphilini factum, vt qđ de Traiano Augusto legerant, vel audierant, id totum ad Hadrianum attinere; inanimaduersione crediderint: quod solet nõ raro historicis cõtingere. Quod si eiusdem fermè rei duplex fuerit exemplum non contendo: dum tamen vtriusq; fœminæ ius flagitãtis, historia cõstans habeatur. Potuit enim facile fieri, vt muliercula Hadrianum congrediens alterius improbitatem æmularetur, cùm recens eo tempore ea historia esset & Hadrianus similiter Traiani exemplo cõmotus, eam comiter & patienter audiret. Quicquid horum senseris, historia Traiani ab eisdem auctoribus refertur, qui liberationẽ animæ eiusdem precibus diui Gregorij tradiderunt, proinde fides vtriusq; rei ex eisdem prorsus auctoribus pẽdet. Qui optimè id negocium callere poterant eo tempore, quo ornamenta vrbis maxima ex parte integra extabant, & fori præcipuè Traiani in quo erat hęc historia, quam tractamus, marmore, vt diximus, scalpta, vel ære incisa. Sed veniamus iam tãdem ad aliam posteriorem, quæ ex hac priori ortũ habuit in qua diuus Gregorius legitur Traianum suis precibus à Tartaro vendicasse: quæ in hunc modũ ab eisdem, quos citabimus authoribus refertur. Cùm beatissimus Pontifex Gregorius, semel à Lateranensi ad Vaticanam basilicam clero & populo comitatus, procederet, supplicationes

de

de more faciens, contigit per forum Traiani iter habere. Inter plurima ornamenta quæ illic visebantur celebre erat illud ex marmore vel ęre confectum, in quo Traiani simulachrum equo descendens ius reddebat viduæ flagitanti. Quod spectaculum & alias sæpe, & túc maximè sanctissimi Pontificis animum perculerat: ad miserationemq; vehementissimè inclinarat. Quare affectu pietatis commotus, cœpit de Traiani Cęsaris salute fore sollicitus: qui tanti principis clemētiam, iustitiam, æquitarem, cœterasq; animi dotes pectore voluebat, atque admirabatur. Hinc in singultus, gemitus, atque lachrymas prorumpens, Sacrorum vatum, & euangelica oracula Deo optimo maximo proponebat, aiens. Tu Deus, & clementissimè domine dixisti, Iudicate pupillo, subuenite oppresso, defendite viduam, & venite, arguite me: & rursus Dimitte, & dimittetur vobis: ne igitur, quæso, sis immemor fidelissimę promissionis tuæ, & licet peccator & indignissimus sim, qui rem ita arduam audeo postulare, propter temetipsum & tui nominis gloriam propitiare animæ Traiani Cęsaris, principis iustissimi & æquissimi, qui tanta lenitate & mansuetudine vsus est erga mulierem viduam pauperculam, iudicium sibi fieri postulantem. Perueniens deinde sanctissimus Pontifex ad sepulchrum beati Petri Apostolorum

lorum principis, postquam hostiam sacratissimā Deo viuenti obtulisset, diutius orauit, & fleuit, ac nocte sequenti veluti somno correptus corporeo, per mentis tamen vigiliam vidit angelum Dei nū ciantem se a domino fuisse exauditum, animamq; Traiani, vt poposcerat, liberatam, verum caueret sibi deinceps, ne pro infideli vllo vlterius preces funderet, aut sacrificium offerret. Hanc quam retulimus historiā ex quamplurimis grauibus authoribus collectam, fidelem & veram esse, nec vt dubiam, aut commentitiam, a quoquam iure reijci debere, multorum testimonijs productis comprobabimus. Extat in primis Romæ in Bibliotheca Vaticana, Latina inquam, versus sinistram introeuntibus tertij plutei superiori parte, liber antiquitatis venerandæ, membranaceis chartis descriptus, qui est numero 153. vbi præter quatuor libros dialogorum diui Gregorij Papę, & eiusdem vitam a Ioanne Leuita conscriptam, fragmenta quædam sunt adiuncta, aut potius Idyllia, continentia erectionem & dedicationem a Gregorio Pontifice factā ecclesiæ S. Andreæ in Cliuo Scauri, & lustrationem, seu expiationem eiusdē a Paschali secundo, quod illam Robertus Guiscardus tyrannus violasset, inuentionē corporis S. Cæciliæ martyris, & pleraque alia huiusmodi. In dedicatione autem & cōsecratione huiusmodi ædis, diuo Andreæ

dreæ apostolo sacræ, quam Petrus & Ioannes viri religiosissimi, diacones beati Gregorij ediderunt, testimonium ijdem ferunt historiæ, quam nuper retulimus Traiani. Quam verbatim hic inserendam duxi; nihil de illorum dicendi stylum mutãs. Anno secundo, inquiunt, põtificatus diui Gregórij Papæ, collecta Cardinalium, & Episcoporum, ac ceterorum Romanę Ecclesiæ multitudine clericorum, Ecclesiam istam, quam ad honorem sancti Andreæ apostoli in Cliuo Scauri construxerat, in qua etiam religionis rudimenta, & sanctitatis susceperat incrementa, eo quo decuit, prout eius anima desiderabat, consecrauit honore: quam ét plenariè dotauit, & priuilegijs apostolicis præmuniuit. Consecratione verò peracta, flexis ad terram genibus, se domino humili supplicatione ꝓsternens, preces fudit ad dominum, dicens: Domine Iesu Christe filij Dei viui, qui dixisti apostolis tuis, & per apostolos vniuersis fidelibus Christianis, quæcumq; petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, peto ab omnipotentia tuæ maiestatis, quatenus quicunq; deinceps in huius ecclesiæ circuitu elegerit sepeliri, dummodo fidem tenuerit Christianam: non quod fides christiana descendentibus sine gratia diuina, salutem esset æternã conciliatura: sed quod peculiari auxilio, Christiano in illo loco sepeliri eligenti, Deus faueret ne

incipiunt verba Petri et Ioannis

absq;

absque pœnitentia & gratia ab hoc sęculo discederet. Oratione verò cõpleta, apparuit ei angelus Domini, dicens. Gregori exaudita est oratio tua, secundum quod a Domino postulasti, sed quia hoc poscere præsumpsisti, nihilominus & quia p̃ anima Traiani imperatoris, viri infidelis orandũ esse duxisti, scias te in hoc sęculo a corporali, quã pateris infirmitate fore minimè liberandum. A qua si duo hæc domino non petisses, liberatus p̃cul dubio fuisses. Et certè sicut cœlestis nuncij, vera fuit atque perpetua de exaudita oratione annũciatio, ita etiam infirmitatis non liberandæ cassa nequaquam extitit comminatio: nam stomachi langore, pedumq́; dolore, continuisq́; febribus, licet lentis vsq; ad vitæ exitum laborauit. Hanc autem orationem, atq; diuinam reuelationem beatus Gregorius nobis videlicet Petro diacono & Ioanni diacono patefecit: quas ad scientiam posterorum, nos styli duximus officio transmittẽdas. Hucusq; Petrus & Ioannes diacones beati Gregorij. Quæ omnia, vel ex hoc, vel alio simili exemplari transcripta, Romæ habentur in æde, Diuo Gregorio sacra, & in tabulam, publicæ memoriæ causam, translata. Quorum testimonio Ioannes diaconus, qui multis annis post vitam ipsius beati Gregorij scripsit quasi coronidem addit, dicens. Ego quoque Ioannes humilis diaconus, & scriba

beatissimi

beatissimi patris Gregorij post ipsius transitum; eius vitam & actus in scriptis præcipiente Ioanne Pontifice summo redegi. scribam autem Ioannes iste leuita diui Gregorij se vocat, non quod ipsius tempora consecutus fuerat, sed quod ipsius vitam partim iam scripserat quando Ioannes VIII. Romanus Pontifex hoc illi munus iniunxit, vt ipse inibi profitetur. Hæc igitur fermè sunt quæ diacones illi Petrus & Ioannes, diui Gregorij discipuli, in probitate vitæ & sanctimonia socij, quibus cum arcana sui cordis tractabat, ad posterorum notitiam prodiderunt; testes vtiq; fidissimi, qui Traiani animam precibus ipsius diui Gregorij à tartaro ereptam, constantissimè profitentur, & ex ore ipsiusmet se percepisse testantur. Succedit secūdo loco author vetustus vitæ diui Gregorij, quæ in fronte operum ipsius præmittitur Basileæ per Frobenium excussorum anno Christi 1564. qui licet anonymus, non tamen contemnendus est auctor. Hic consuetudinem habuit cum Petro diacono diui Gregorij coniunctissimam; & ab ipso multa arcana hausit, quæ in historiam vitæ diui Gregorij fidissimè transtulit: vt ipse ibidem fatetur. Hic, a Petro diacono edoctus, historiam Traiani a tartareis cruciatibus precibus diui Gregorij erepti, diffusè prosequitur, & prout nos retulimus, & ipse refert, atq; vt certissimam & constantissimam

mam tuetur. Succedit tertio loco, ſicut & ætate proximus, ita ſanctitate vitæ & doctrina clariſsimus, diuus Ioannes cognomento Chryſorrhoas Damaſcenus, vir profectò nunquam ſatis laudatus, ſiue mores, ſiue religionem, ſiue doctrinam & eloquentiam conſideres. Is in ſermone de illis, qui in fide hinc migrarunt, quod ſacris operationibus, & viuorum beneficijs multum iuuentur, ita inquit Gregorius, qui dialogus a noſtris dicitur, veteris Romæ epiſcopus, vir, quod teſtantur omnes, ſacrarum diſciplinarum intelligentia celebris, cui etiam, vt ferunt, ſacra facienti cœleſtis ángelus, ſocium ſe addidit, ſimul ſacrificans; cùm per forum Traiani, lapidibus ſtratum, iter faceret, validas preces ad miſericordem, animabusq́; propitium dominum habuit, vt Traiano Regi peccata dimitterentur: & confeſtim vox diuinitus allata, audita eſt, in hunc modum dicens: Preces tuas audiui; & veniam Traiano do. Tu verò deinceps pro impio hoſtiam mihi ne offeras. Teſtatur autem oriens, & occidens totus miraculum Germanum, & irrefutabile. Hæc beatus Ioannes Cryſorrhoas Damaſcenus, iuxta verſionẽ latinam e Gręco exemplari, prodidit de hac Traiani hiſtoria, quæ ſuo ſęculo celeberrima erat tum latinis, tum Græcis, & notiſsima tam Oriẽti quàm Occidenti. Tantæ autem auctoritatis ſanctus Ioannes Dama

ſcenus

ſcenus fuit, vt Sancta Synodus Nicena ſub Hadriano primo Papa, & Conſtãtino Imperatore a Irene eius matre trecentorum quinquaginta Epiſcoporum contra Iconomachos anno 781. congregata huiuſmodi de illo teſtimonium perhibuerit. Ioannes qui ab Iconomachis Manzur cõtumeliosè nominatur cunctis relictis cum Matthæo Apoſtolo Chriſtum ſequutus eſt: longè maiores diuitias, quam ſunt Arabicæ, exiſtimans contumeliam pro Chriſto pati, maluitq́; ſimul cum populo Chriſti affligi quam temporariam in peccato voluptatẽ. Ipſe igitur cruce ſua ſublata pro Chriſto, Chriſtiq́ue caris, Deum ſequutus eſt; & ex Oriente per Chriſtum tuba cecinit, non arbitratus ferendam, quæ in aliena effundebatur regione vaniloquentiam, & eum qui contra Dei catholicam eccleſiã inſtructus eſt, apparatum, rabioſamq́; inſaniam, ſed hanc triumphans, vbiq́; adhortatoriè & conſolabiliter totam vitam duxit. In Eccleſijs enim veterem conſuetudinem diligenter ſeruandam monuit: pacificam quoq; illam cõſtitutionem & ſtatutum quem Dominus etiam diſcipulis in ſignũ quo cognoſcerentur quod ſui eſſent diſcipuli, dedit; Pacem meam relinquo vobis: conſeruare & roborare ſtuduit. Hæc Sancta Synodus Nicena. Et inferius venerabilem & dignum in fide virum, ac in eccleſia catholica probatum cẽſet, deteſtaturq́;

Icono-

Iconoclastas hæreticos, qui in suo Sathanico conciliabulo damnationem aduersus eum in hęc verba protulerant. Iconolatræ & falsigrapho Manzuri, anathema. Doctori impietatis, & peruerso interpreti diuinæ scripturæ Manzuri, anathema. Hac dixerim vt quanti momenti testimonium sit viri grauissimi & sanctissimi, & quem adeo impensè sancta Synodus laudat, perpendamus. Húc autem posteriorem fuisse diuo Gregorio plus centum annis, post pauca manifestissimè probabimus. Succedit quarto loco Ioannes diaconus Romanus, qui iubente Ioanne VIII. Romano Pontifice circa annum Domini 872. ex scrinijs apostolicis vitam beati Gregorij, quatuor libris complexus, collegit. Is lib. 2. cap. 44. eam historiam de liberatione animę Traiani receptissimam fuisse apud ecclesias Anglicanas in quibus frquentissimè legebatur, & ceu certissimã refert, cõfirmat & tuetur, dicens: se horum admirari qui cum cuncta alia miracula a gloriosissimo Pontifice facta recipiãt, de hoc vno, licet certissimo, dubitarint. Cujus rei notitia facilè in ecclesias Anglicanas penetrare & diffundi potuit: Gregorio Anglorum apostolo & Episcopo prodente, quem Diuus Gregorius prædicandæ & fundandæ religionis gratia in eam Britanniæ insulam delegarat. Qui vt arcanorum ipsius conscius potuit optimè eam historiam callere

lere illosq; populos primus docere. Quo effectum est, vt à fideli ministro susceptam, constantissimè super alias Christiani orbis ecclesias retinerent. Hos enumeratos authores, vel omnes, vel eorum aliquem, sequuntur Guilhelmus Antisiodorensis Episcopus, lib. 4. cap. de damnatis. diuus Thomas in quæstionibus disputatis de veritate q. 6. artic. 6. & 1. Sentent. dist. 43. q. 2. artic. 2. ad 5. & iterũ 4. Sententiarum dist. 45. q. 2. artic. 2. ad 5. & in vniuersum omnes Theologi ibidem istam historiã recipiunt. qui super quartum Sententiarũ theologicarum magistri Petri Lombardi scripserunt. Præter hos eunt in eandem sententiam: & historiam Traiani liberati ab cruciatibus tartareis fatentur, Gottifredus Viterbiensis historicus celebris in parte quintadecima Panthei, quam versibus integram describit. Floruit autem hic sub Friderico primo & Vrbano III. anno Christi 1155. Vincentius Beluacẽsis lib. 22. Speculi historialis c. 22. Diuus Antoninus 2. parte historiarum, titulo 12. cap. 3. §. 8. Diuus Vincẽtius in sermone 5. Gregorij. Abulensis super 4. lib. Regum. cap. 4. q. 57. Philippus Bergomensis lib. 10. Supplementi Chronicorũ; Ioannes Stella in historia Pontificum in vita diui Gregorij; Ioannes Viguerius Granatensis in institutionibus Theologicis; Sixtus Senẽsis lib. 6. Bibliothecę sanctæ annotatione 47. Clemens Monelia-

nus Cardinalis Aræ cœli in compendio catholicarum institutionum cap.43. Fr. Laurētius Surius Carthusiensis in vita ipsius Diui Gregorij. Martinus Alspilcueta Doctor Nauarrus, vir nostra ætate morum sanctimonia & magna doctrina literarum omnium clarissimus, summopereq; commēdandus, in Enchiridio de oratione, cap.22. Miscellaneo.13. non solum meam sententiam hac in re secutus, sed impensè etiam laudauit. Idem sentit F. Bartholomæus Medinensis ordinis Prædicatorū primarius olim Theologiæ professor in Academia Salmaticensi, qui omnium doctorum virorum calculo, celeberrimus est habitus, in Commentarijs ad 3. partem Summæ Theologiæ S. Thomæ, super arti. 6. q.52. licèt circa circunstantias aliquot nonnihil allucinetur, vt postea demōstrabo. Sed veniamus iam tandem ad aliud argumenti genus ex diuinis oraculis constans, quæ sanctissime duæ fœminæ susceperunt. Prior est beata Birgitta vidua & Heroina Sueuitica, quā vulgus ꝑperā Brigittā, seu corruptius Brigidam vocat: vt admonuit Martinus V. in decreto quo illam secundo inter diuas retulit: fœmina incomparabilis sanctitatis & prudentiæ, quæ libro 4. suarum reuelationum cap.13. vbi de eleemosyna pauperibus pro animis defunctorum eroganda agitur, ita à Christo spōso suo instruitur, dicente. Benefaciendum est spi-

ritualiter

ritualiter & corporaliter: ſpiritualiter fundendo ad Deum preces, quia nullus credit, quãtum Deo placent preces humilium, ſicut per exemplum oſtendam tibi. Si quis offerret regi pondus magnum argenti, diceretur à circunſtantibus: hæc eſt magna præſentatio; ſi verò legeret vnum Pater noſter regi, derideretur. Sic eſt econtra apud Deũ. Quicunque enim offert pro anima alterius vnũ Pater nr̃, acceptius eſt Deo põdere magno auri: ſicut patuit in illo bono Gregorio, qui oratione ſua etiam infidelem Cæſarem eleuauit ad altiorem gradum. Ecce qualiter Chriſtus ſpõſæ ſuæ Birgittæ hiſtoriam liberationis Traiani Cæſaris infidelis precibus diui Gregorij factæ, inſinuat, & teſtimonium eius rei certiſſimum reddit. Et licèt huiuſmodi reuelationes vel oracula iſtarum vatum non ſint recipienda vt ſcripta canonica, aut decreta ſynodica Patrum, veneranda tamẽ ſummopere ſunt: & plus illis fidei adhibendum, quàm hiſtorijs Liuianis, Salluſtianis, Thucydidis & Polybij, & multorum etiam qui res geſtas in eccleſia ſcribunt: quas tamen citra hæſitationem cuncti recipiunt, & vt conſtantiſſimas probant: Præſertim cùm Bonifacius IX. in ſanctione Pontificia, qua illam inter cœlites refert, inquiat. Hæc generoſa vidua per gratiam ſancti Spiritus promeruit multis eorum cogitationes & affectiones intimas,

& gesta secretissima propalare, & visiones ac reuelationes varias videre, & audire: ac spiritu prophetico multa prædicere, quorum nonnulla effectu completa fuere, prout hæc & alia in eius reuelationum volumine plenissimè describũtur. Hęc Bonifacius IX. in sanctione illa secundo sui Pontificatus anno edita. Et ne mihi obijcias tempore scismatis ipsam fuisse a Bonifacio IX. diuis annumeratam, meminisse etiam oportebit, Martinũ quintum eius successorem singula, quæ in decreto Bonifacij IX. continebantur, cõfirmasse, probasse rataq; & firma in perpetuum esse voluisse, ne de sanctimonia huius clarissimæ fœminæ & oraculis a Deo susceptis vllus ambigẽdi relinqueretur locus. Fatis autem cõcessit hæc sanctissima matrona Romæ anno Christi 1373. x. Cal. Augusti sub Pontificatu Gregorij XI. & inter cœlites relata a Bonifacio IX. anno Christi 1391. & a Martino V. 1419. Birgittam, sequitur Mecthildis virgo docta & sanctissima, professione Benedictina, diuinis oraculis clara, & non inferior ipsa Birgitta, quæ libro quinto visionum, aut reuelationũ spiritualis gratiæ ipsius, cap. 6. cuius titulus est. De animabus Sansonis, Solomonis, Origeni, & Traiani. ita habet. Rogata a quodam fratre, Dominum in oratione requisiui, vbi nam essent animæ Sansonis, Solomonis, Origenis, & Traiani.

Vid. Aug. lib. 1. de Civit. circa initium.

Cui

Cui dominus. Quid pietas mea cum anima Sāſonis egerit, volo eſſe ignotum: vt homines ſe de inimicis ſuis vlciſci amplius pertimeſcant. Quid miſericordia mea cum anima Solomonis fecerit, volo homines latere, quatenus carnalia peccata ab omnibus magis deuitentur. Quid verò benignitas mea cum anima Origenis effecerit, volo eſſe abſconditum: vt nullus in ſcientia ſua confidens audeat eleuari. Quid verò de anima Traiani liberalitas mea iuſſerit, volo homines ignorare, quatenus fides catholica ex hoc magis extollatur. Quia hic licet omnibus polleret virtutibus, Chriſtiana tamen fide ac baptiſmo caruit. Hucuſque beata Mecthildis: quæ floruit anno Chriſti 1300. Satis inſinuauit illi Deus iſtorum ſalutem maximè de Sāſone, qui in cathalogo ſanctorū (Heb.11.) ab Apoſtolo ponitur. licet non apertè explicuerit, cum pietatis, miſericordiæ, benignitatis, & liberalitatis meminit, qua circa ſingulorū animas vſum fuiſſe manifeſtat. Hinc autem colligere licebit Dionem Caſſium falſo criminatum fuiſſe Traianum, qui vinoſum & præpoſteræ libidini deditū impudens faciat. Cùm tamen hoc loco omnibus polluiſſe virtutibus a Deo perhibeatur, quales in viro infideli eſſe poſſunt. Multa etiam in Senecā comminiſcitur, & vbique carpit eius vitam & mores, cum illa innocens, hi temperatiſſimi moderatiſſimiq;

Aug. lib. 2 de Civit.

ratissimiq; fuerint. Quare aut prauo affectu in latinos fuit, vt est ingenium. Græcorum, aut certè Græca & instabili natura, facilè rumoribus vulgo sparsis & temerarijs opinionibus citra iudicium assensit; suspectus proinde habendus est auctor, & in omnibus non est illi semper arrogāda fides. Hæc autem obiter de Dione placuit annotasse, ne nobis vnus fucos faciat, viros optimos maledicētia traducendo. Sed differamus hæc in tempus cōmodius & opportunius; & ad nostram historiam redeamus, quæ satis vtique testimonijs authorum veterum, oraculis ad sacras vates factis confirmari videtur. Verum si obiectiones, quas nonnulli recentiores nobis opponunt, exactè diluerimus, nullus relinquetur dubitandi locus, quin cuncta cohæreant, consentiantq; rectissimè. Tres autem eæ sunt, & Ioannem Damascenum priorem fuisse plus duobus sęculis diuo Gregorio, & proinde nō potuisse huius historię Traianicę liberationis meminisse, sed potius falso illum sermonem Damasceni nomine editum, fieriq; vt testimonium impostoris fide careat, cui maximè historia proposita innitebatur. Altera existit, fieri creditu durissimum, diuum Gregoriū pro viro infideli litasse, preces fudisse, lachrymasse, quem sciebat, vel scire debuisset, vltimo supplicio damnatum, vtpote qui ex hac vita sine fide & baptismo migrarat,

perse-

persecutorq́; fuerat sœuissimus Christiani nominis, vt qui plurimos milites Christi martyrio affecerat. Succedit etiam alia ingentior difficultas hominem videlicet iam tartareis pœnis addictum absque gratia Dei ab hoc sęculo discedenté, absq; baptismo & fide eximi his malis potuisse, in libertatem, quæ à rectissimo iudice assertum. Sed singulis his obiectionibus eo ordine, quo sunt propositæ, adeo satisfaciam, vt quies animo, & consensus concilietur intellectui. Ad priorem autem dubitationem, fuerit ne S. Ioannes Damascenus anterior vel posterior diuo Gregorio non erit difficilè respondere. Quidam rem parum exactè perpendentes plus duobus sęculis anteriorem faciunt, vtpote sub Theodosio imperatore florentem, in testes inducentes Raphaelem Voloterranum lib. 21. Vincentium Beluacensem lib. 17. cap. 103. Antoninum Florentinum, & Trithemium in lib. de scriptoribus ecclesiasticis; videlicet anno 390. Cõstat autem D. Gregorium anno Christi DCIV. ex hac luce migrasse, dum igitur summa annorũ altera alteri confertur, inueniemus sanctum Ioãnem Damascenum priorem fuisse S. Gregorio ducentis & sexdecim annis: & ita sermonem illum defunctos viuorum beneficijs iuuari, & historiam salutis Traiani commentitia vtraque esse nihilq́ue probare. At si negotium oculatius inspiciamus,
inueniemus

inueniemus procul dubio S. Ioannem Damaſcenum plus vno ſęculo poſteriorem diuo Gregorio fuiſſe. Nam auctores qui in teſtes hic inducuntur, quod ſub Theodoſio vixiſſet legentes non diſtinxerunt, vter trium fuiſſet, ſed ad primum ceu inſigniorem rationem temporis reduxerunt: Cùm tamen ille non ſub Theodoſij primi, nec ſecũdi, ſed tertij vixerit imperium, & illius ſuceeſſoris Leonis III. Huius rei inanimaduerſio in cauſa fuit iſtis grauiſſimis auctoribus ad eundem ſcopulum impigendi, dum a Theodoſio III. ad primum retro cedentes annorum rationem confundunt. Floruit igitur vir ſanctiſſimus Ioannes cognomento Chryſorrhoas, monachus doctiſſimus Damaſci Syriæ ſub imperium Theodoſij III. cognomẽto Adramitteni, & Leonis III. iconomachi, anno Chriſti 701. Cuius rei nulla nobis eſſet arroganda fides, niſi legitimos & indubitatos teſtes, in negotij huius confirmationem induceremus. Extat enim vita eiuſdem ſancti Ioannis Chryſorrhoæ, Arabicè deſcripta, & a Ioanne Patriarcha Hieroſolymitano Gręcè verſa, & ab aliquo alio Latina facta, quę apertiſsimè docet ſub imperium Leonis tertij, cognomento Iſauri, virum hunc ſanctiſsimum floruiſſe. Aduerſus Leonem nanque imperatorem Ioannes, Damaſci Syriæ agens, quod venerandas Chriſti & deiparæ virginis imaginis euerteret,

diuorumq́;

diuorumq́; simulachra, flammis efferus & furibū-dus exureret, libellis editis & epistolis varijs scriptis, viriliter se tyranno opposuit, quibus bonam partem Asiæ & Græciæ in cultu imaginum & pietate religionis cōtinuit. Leo imperator, qui ægerrime ferebat impietatem suam vbique terrarum & locorum Ioannis scriptis traduci, neque hominem capere aut punire poterat iuxta votum suū, qui extra limites imperij versaretur, fraudem malignissimam commentus est, qua virum Dei perderet. Conquisitis nanque literis aliquot Ioānis, ministros scribendi peritissimos asciuit, iniunxitq́ue illis vt characteres proprios eiusdem ita mētirentur, vt alij ab alijs dignosci haud possent. Quibus epistolam confinxit, quasi ab ipso Ioanne ad se secreto scriptam, velle se vrbem Damascum regemq́; in potestatem Cæsaris tradere, tantum ipsi cura esset, milites ad constitutam diem transmittendi, futurum vt vrbe insignisima & opulentissima citra multum operæ & sumptus potiretur. Hanc epistolam Cæsar ad Regem Damascenorū remittere se dixit, animum erga se suum officio salutari satis testari edicens, & vt vlterius sibi ab insidijs & traditoribus caueret, hortatus. Rex Damascenorum Ioannem, qui a consilijs eius erat, capit nullo defensionis iustæ patrocinio admisso, dextram illi amputari iusit: quæ oranti, & con-

querenti ob imagines deiparæ & aliorum diuorũ propugnatas, hoc ſibi detrimentum illatum, ea quæ proximè conſecuta eſt nocte, a deipara virgine reſtituta fuit, ſigno abſciſsionis in tanti miraculi fidem relicto. Gregorius item Cedrenus in ſuis annalibus, ſub Leonis tertij imperium, cognomento Iſauri, & ob impietatem imaginum quæ ſanctarum odium Θεωμάχου, & Εἰκομάχου dicti Ioannem Damaſcenum vixiſſe teſtatur: melodijſq́ue comprehendiſſe eas cantilenes quas decretum in eccleſijs cani iubet. Et Suidas virum fuiſſe doctiſsimum prodit, & ætatis ſuæ nulli eorum, qui doctrina illuſtres fuere, ſecundum. Inter alia eius ſcripta canticorum canones Iambicos; & ſoluta oratione recenſet, quos dicit fuiſſe incomparabiles, neque quoad vita propagaretur comparationem vllam admiſſuros. Franciſcus etiam Maurolycus in ſuo martyrologio, S. Ioannem hunc Damaſcenum ſub Theodoſio III. qui Leonem Iſaurum præceſsit, vixiſſe aſſeuerat. F. Melchior Cano. hoc idem confirmat lib. locorum Theologicorũ 11. de humanæ hiſtoriæ auctoritate tractans, licet hiſtoriæ Traianicę liberationis videatur repugnare, quem poſtea etiam nos impugnabimus. Sed quid opus eſt alienis teſtibus, cùm ipſe eam nobis ſuis ſcriptis controuerſiam decidat: libro enim quarto orthodoxæ fidei cap. 17. contra Iconoma-
chos

chos ſcribit, eoſdemq́ue in libro hæreſum Iconoclaſtas, & Thymoleontes appellat, à Leone certè Iſauro, qui præcipuus fuit, ſacrarum imaginum impugnator & euerſor. Eodem præterea hæreſum libro Monotheletas commemorat Cyrum, S. Sergium, & Euſthatium, qui damnati ſunt in ſexta Synodo ſub Agathone Papa. Aduerſus quos copiosè & ſcripſit lib. 3. de orthodoxa fide cap. 14. & 15. Conſtat autem ſynodum ſextam, quæ fuit ex Conſtantinopolitanis tertia, ſub Agathone Papa anno tertiodecimo imperij Conſtantini quinti celebratam, qui incidit in annũ Chriſti 681. Diuus Gregorius ex hac luce migrauit, anno 604. Colligitur ergo 73. annos hos hæreticos poſteriores diuo Gregorio fuiſſe, aduerſus quos ſcribit S. Ioannes Damaſcenus: Quo profectò fit diuum Ioannem Chryſorrhoam, profeſsione monachũ, virum ſanctiſsimum, pariter atque doctiſsimũ, Damaſci Syrię incolam, qui libros quatuor ortho doxæ fidei, hiſtoriam duorum militum Chriſti Ioſaphat & Barlaam, libros itẽ hæreſum, & de imaginibus, & orationem defunctos in fide perfecta viuentium precibus iuuari, ſcripſit, multis annis diuo Gregorio poſteriorem fuiſſe: potuiſſeq́; optimè de illius oratione, & liberatione Traiani certo docuiſſe. Neque audiendus eſt Trithemius, qui libros quatuor orthodoxæ fidei ſcripſit; alterum

ſub Leone, qui pro imaginibus depugnarit, cum idem prorſus ſit auctor vtrorumque librorum, vt iam, tam ex hiſtoriographis Græcis, quàm ex eiuſdemmet ſcriptis ampliſsimè docuimus. In eodem etiam errore verſatur F. Bartholomæus a Medina loco ſuperius citato; qui dicat, neceſſe eſſe illud opus alterius eſſe & non Magni Damaſceni, qui antiquior fuerit Gregorio ducentis annis, vtpotè qui ſub Theodoſio Imper. floruerit, Gregorius verò ſub Mauricio, confundens tertium cum primo Theodoſio aliorum exemplum & in animaduerſionem ſequutus. Abſoluta demum priori hac dubitatione, quæ hiſtoriam & annorum numerationem complectitur, ad aliam maioris difficultatis recurramus, quæ orationem diui Gregorij ꝓ homine effuſam infideli, religionis Chriſtianæ perſecutore & hoſte, concernit. Ambiguitatem nanque non leuem habet, quomodo auſus fuerit diuus Gregorius pro ſimili viro ſacrificium offerre, orare, lachrimari, quod vtique criminoſum erat, cùm eſſet a fide alienus & religione Chriſtiana, idolorum cultor, & demum filius perditionis & damnatus. Præſertim cùm ipſe quarto lib. dialogorum & lib. 34. moralium cap. 12. doceat eandem cauſam eſſe cur non oretur a ſanctis in futuro iudicio, pro peccatoribus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam cauſa eſt, vt non orent ſancti

homines

homines pro hominibus infidelibus, impijsque damnatis: Aduersus doctrinam, qua cunctos erudijt, agere visus, est, si hoc, quod refertur, diuus Gregorius admisit. Nam aut ignorabat Traianú idolatram, & in perfidia sua obijsse, aut optimè callebat, qualis, ille moriens fuisset: Ignorantia autem & conditionis Traiani & religionis, & quod non esset pro huiusmodi hominibus orandum, non poterat virum doctissimum & historiæ & rerum theologicarum fallere. Quod si calluit, non facilè est illum a crimine aliquo graui vendicare: quod secus quam sentiret, faceret; & in re grauissima, & quæ a Theologis, peccatum lœtale censetur, delinquere. Si enim pro Dæmonibus, iamiam damnatis, non licet preces effundere, non licebit pro animabus condemnatis orare, cum pares ijsdem iudicentur: iuxta illud Augustini; Si Scirem patrem meum esse damnatum, non orarem pro eo plusquam pro diabolo. Tum quia nõ minori illi & Deum, & nos, quam Dæmones odio prosequantur: vtpotè caritate quauis omnimodo destituti. Præterea decretis pontificijs cautum & interdictum existit, cap. pro obeuntibus 13. q. 2. & c. placuit, 23. q. 5. Glossà recepta. cap. ex patre, de sepult. Quæ licet posteriora sint sęculo Gregorij: satis est, rationes quibus permoti sunt Pontifices ad illa constituenda semper viguisse, & a similibus

precibus

precibus auocasse. Abulensis in commentarijs super quartum librum Regum cap.4.q.57.vbi diffusè hoc argumentum tractauit, fatetur diuum Gregorium lœtaliter peccasse orando pro Traiano, verum fuisse exauditum, & in pœnam peccati supplicio affectum, vt dolore stomachi laboraret. Sed quis, iudicij compos, crederet, Deum exaudisse orationem hominis lœtaliter in ea delinquentis, & arduam & inconsuetam rem illi postulanti concessisse? Nec virum sanctissimũ & per omnes gradus suæ vitæ innocentissimum ita debemus traducere, aut inurere grauissima nota. Ioannes Leuita Romanus, qui vitam diui Gregorij iubente Ioanne VIII.Põt.Rom.scripsit, aliter soluit hũc nodũ, dicens: Gregorium non exorasse Deum pro Traiano, Sed tantum fleuisse. Sic enim cum non orasset, plangendo potuit exaudiri, sicut Moyses dolendo taceret, potuit clamasse videri. Cui dominus tacenti labijs: quid clamas, inquit, ad me? Nimirum Deus omnipotens corda renesque scrutatur, & frequenter ea misertus concedit: quę homo quamuis vt carnalis desideret, ea tamen petere non præsumit. Vnde regius psaltes psalmo 9. Desiderium pauperũ exaudiuit dominus: & desideria cordis eorum exaudiuit auris tua. Hæc Ioannes Leuita. At ego non video quid referat plus, mente orare, quàm voce: cùm vtrunque sit cor-

dis

dis & desiderij manifestatio & voti, quod concipimus, expressa postulatio, Deus enim nouit corda hominum & oratione magis solicitatur mentis, quam vocis, licet vtraque sit illi cara & grata. Tantundem igitur erat, fleuisse diuum Gregorium, desiderasse, optasse, atque si vocis oratione salutem Traiani petiisset: præcipue cum Petrus & Ioannes diaconi diui Gregorii & auctor alius antiquus qui vitā ipsius scripsit apertè prodant orasse illum & intentissimè, & S. Ioannes Damascenus, etiam sacrificium pro anima Traiani obtulisse. Quibus etiam consentit oraculum Beatæ Birgitæ a Deo factū super hac re, quod nuper citauimus. Aliter igitur hæc erit obiectio diluenda. Existimare nanque oportet viros singulari Deo necessitate coniunctos, & qui familiarissimè ipso vtantur, audere plerunque magna & ardua quæque ab eo petere, & facere etiam, spiritu Sancto inductos ac instigatos, a quibus reliqui arcentur, atq; excludūtur, quod leue, temerarium, atque criminosum id facere illis procul dubio esset. Adducemus nō pauca exempla tum ex sacris literis, tum ex historiis Sanctorum, quæ hanc doctrinam satis comprobabunt. Abraham vnigenitum filium suum Isaac Gen. 10. monitu diuino sacrificare voluit, cùm tamen huiusmodi victimæ humanæ adeo esset interdicta immolatio. Sanson, columnas, quibus innixum

erat

erat templum Philistinorum, cōcutiens, ipsumq́; euertens, ita vt corruens, ruina non solum Philisteos, sed se perimeret, non vituperatur, sed excusatur, quod spiritu Dei id fecisse creditus fuerit: alius quiuis si hoc ausisset, grauissimè deliquisset in Deum, homicidaq́; haberetur sui ipsius. Augustinus nanque primo de ciuitate Dei, excusat Sansonem, quod instinctu diuino id fecerit, quia non potuisset domum tantam propria virtute subuertere, sed virtute Dei, quæ non adiuuat ad malum. Cui subscribit diuus Thomas in commentariis super caput 11. epistola ad Hebræos, lectione 7. Eodem spiritu diuino motus fuit Elias, cum duos quinquagenarios duces centum militibus stipatos, missos ab rege Ochozia, ad se capiendum, si spontaneus venire recusaret igne de cœlo bis impetrato incunctanter exussit. Hoc, quod Dei propheta, diuino numine afflatus petiit, & obtinuit, duorum ducum, centumq́; militum deflagrationem, alius profectò etiam cogitare criminosum duceret, tantum abest, vt a Deo peteret & impetrare se posse speraret. Numine Dei afflatus filius ille prophetæ, quendam, vt se percuteret in nomine domini inuitauit, qui cùm acquiescere nollet, a Leone occurrente in via (sicut propheta prædixerat) discerptus est. Rursus alium reperit, a quo stricto gladio impetitꝰ & vulneratus est.

x.Reg.4

Eodem

Eodé ſpiritu, & impulſu ductus fuit Eliſeus, qui pueris ei illudentibus in nomine Domini maledixerit, & quadraginta ex illis vrſi ſaltu egreſſi diſcerpſerint. Inducere autem quemquam ad vulnera alteri cuiquam inferenda, peccatum eſſet lętiferum, niſi diuino quiſpiam numine afflatus fecisſet S. Marcus Euangeliſta pollicem ſibi, poſt fidem Chriſti ſuſceptam, amputaſſe legitur, vt ſacerdotio reprobus haberetur. 4. Reg. 2. Apollonia item virgo Alexandrina propria ſe ſponte in ignem proiecit, ad quem erat, ſi paganiſmo non aſſentiretur, damnanda. Quæ tamen martyrio clara in eccleſia celebratur, quod Spiritu ſancto impellente id fecerit: Aliter namq; aut membrum ſibi aliquod amputare, aut non coactum, vel vi impulſum ſe in mortem dedere, nemini licet. Diua Catharina virgo Senenſis, quadraginta integris diebus, plerumque cibo & potu quouis abſtinuit. Beatus Nicolaus de Saxo, clarus ſanctimonia apud Heluetios Eremita, viginti fermè annis, abſque vllo prorſus cibi aut potus genere perſtitit, diuino id vtrique ſuggeréte numine. Ecquis enim nunc videt ſi inediam huiuſmodi tentaſſet, homicidium ſui ipſius moliturum, grauiſſimeque in Deum peccaturum? Cum inedia intra ſeptem dies, vel plurimum nouem exanimet. Diuus Thomas apoſtolus Chriſti cum ſemel nuptijs filiæ regis cuiuſdam Indorum

interfuiſſet, & à pincerna conuiuij colapho iniquiſſimè impeteretur, duo, legitur apud Abdiam Babyloniæ Epiſcopum libr. 9. Si tamen legitimus & non potius commentitius liber ille exiſtit à Domino imprecatum fuiſſe, & quod parceret in futuro, & puniret in præſenti, vt cæteri huius exemplo cauerent deinceps offendere ſeruos Chriſti. Quod mox diuina vltione ſubſequuta, confirmatum eſt. Nam ad fontem pincerna egreſſus, quo miniſtros aquam in conuiuium deferentes vrgeret: à leone dilaceratus fuit, membratimq́ue diſciſſus. Cuius dextram ſacrilegam domeſticus canis apprehendens, per ſingulos in conuiuio accũbentes circumtulit, vt eadem dextra abſciſſa maiorem famulo Dei gloriam referret, quam viuens ignominiam intulerat. Non animo iniuriæ vin-
Matt. 5. dicandæ hoc fecit Apoſtolus, quia magiſtro om-
Luc. 6. nium didicerat, non propulſandam iniuriam viro perfecto, orandum pro perſequentibus, & calumniantibus, maxillam ſiniſtram ei offerẽdam, qui dextram percuteret: qui Spiritu ſancto fuerat olim repletus, & in Dei amicitia confirmatus: Sed zelo potius diuino, vt authoritas & reuerentia miniſtro euangelij ita apud barbaros cõciliaretur: & noſſent ſe ſeruum eſſe Dei viuẽtis, ſub cuius protectione, & religione continebatur. Ita enim exiſtimabat, viam faciliorem multo ſterni ad euan-

gelij prædicationem ſuſcipiendam, quam ſi iniuriam illam Deus inultam relinqueret. Gloriam nanque Dei, nō propriam quærebat: ſicut & Apoſtolus Paulus, qui genus, perſonam, eruditionem, 2. Cor. 11.
labores pro Chriſto ſuſceptos, arcana Dei viſa refert, non inanem ſui commendationem, ſed vt inde maiorem auctoritatem apud Corinthios conciliaret, qui ſciebat melius hac via iugo Chriſti ſubditurus, & contenturus etiam, & quando exempla huiuſmodi minus ſecure ex Abdia peteremus, ſuperſunt innumeri fidei teſtes, qui vitas ſanctorum ſcripſerunt, à quibus multo plura huiuſmodi poſſemus inducere, quæ tamen faſtidij cauſa prætereunda cenſuimus. Sed iam coronidem vnico exēplo imponamus. Beata Tecla martyr prece ſua, Falconillam, fœminam idolorum cultricem, & à Chriſti miniſterio alienam, eripuit ab inferis, vt teſtis eſt Sanctus Ioannes Damaſcenus, in ſermone de defunctis piorum ſuffragijs iuuandis. Cuncta iſta exempla, quæ produximus, & multo plura quæ ſanctorum virorum & fœminarum producere poſſemus, ſatis & manifeſte conuincunt, multa ab ipſis geſta eſſe, quæ ſtuporem & admirationem habeant, neque reliquis ea licere, quæ communes leges & rationem excedant. Admirationi nanque non imitationi excitandæ leguntur, proponunturque: & quod alij abſque

graui peccato facere non poſſunt, iſti impune fecerunt: quod Dei numine regerentur. Ad inſtar igitur horum, beatus Pontifex Gregorius petens liberationem animæ Traiani, non ſolum crimen nullũ admiſit, ſed obſequium pręſtitit Deo, quod ſpiritu diuino ductus id poſtulauerit. Delinqueret quidem alius, qui ſpiritu Dei peculiari in re ſimili deſtitueretur, non diuus Gregorius qui probe norat impulſu numinis rem ſe gratam facturum, ſi liberationem Traiani poſtularet. Nam ſi quiſpiam admitteret, virum Dei in hoc negotio petendo grauiter deliquiſſe, aut ſaltem ignorantia excuſari, quod crederet pro huiuſmodi damnatis, & infidelibus orationem ad altiſsimum effundi poſſe, in altero innocentiæ & ſanctimonia beatiſsimi Pontificis detraheretur, in altero notam illi ignorãtiæ inureret, quaſi neſciret homo doctiſſimus, & tantopere in lege Dei verſatus, peccatum lętale eſſe, pro infidelibus uita functis & damnatis orare: præſertim pro Traiano, q̃ in Chriſtianos vt idololatra quãdiu vixit deſęuierat, & in pfidia paganiſsimi deceſſerat. Crimẽ porro lętale, nemo viro in Dei obſequio vigilãtiſsimo impingere, citra magnã iniuriam & dedecus ipſius poteſt. Nam ſi petendo liberationem Traiani crimen aliquod admiſiſſet, clemẽtiam Dei potius irritaſſet, quam delinijſſet, & proinde petitionem non obtinuiſſet

ſuam

ſuam. Poſtquam autem continuo fuit exauditus precesq́; ipſius ſuſceptę, ſignũ eſt, non ſolum non peccaſſe, ſed rẽ, qua Dei clementiã demereretur, feciſſe. Voluit nanq; Deus hoc ferme vnico & rariſſimo exemplo, virum ſibi addictiſsimum honore proſequi, ſicut & beatam Teclam martyrem, vt alteri Traiani animi libertatẽ, alteri Falconillæ concederet: quo hinc, quales, quantique fuerint apud Deum, quã chari, quam amici totus orbis perpẽderet, iudicaretq́;: mirabilisq́ue fieret Deus in ſanctis ſuis. Atqui obijciet mihi cõtinuo quiſpiam, Diuum Gregoriũ ob hoc factum fuiſſe à Deo punitum, vt perpetuo ſtomachi & pedũ dolore quãdiu viueret, laboraret, lentis atq; febribus teneret̃. Nemo aũt punitur niſi ob culpam, ergo aliquam Diuus Gregorius in illa petitione commiſit, ob quam merito debuit à Deo puniri. Bene habet. Au di tñ benigne huius ſcrupuli dilutionẽ. Non legimus nec hiſtoria noſtra prodit, diuum Gregorium aliquo ſupplicio affectũ cum primum liberationem animi Traiani obtinuit, ſed admonitum dũtaxat, ne deinceps hoſtiã offerret pro homine infideli. Quod ſi vlterius cõtendas, demum fuiſſe punitũ cũ fidelib. cunctis, qui in cimiterio S. Andreæ ſepelirent̃, ſalutẽ æternã impetrauit, tũcq́; mẽtionẽ tã huius petitionis, q̃ Traiani factã, q̃ cauſa extitiſent huiuſmodi punitionis inferẽdæ: ſatisfaciã.

Non

Non abnuo, aliquam pœnam diuo Gregorio in secunda illa petitione irrogatam, sed quæ potius veteris fuisset confirmatio, quam recentis alicuius inflictio. Nam stomachi, & pedum dolore, insalubritateque totius corporis multo ante & assidue afflictabatur, vtpotè grandæuus, senioque confectus: quæ quo aduiueret fuit producta diuino oraculo, ita vt spe firmæ valetudinis perpetuo esset cariturus. Quemadmodum autem initio non in pęnam alicuius criminis praua illa corporis habitudo à Deo inflicta, ita sine nouo crimine cõfirmata est, quod semper ad cohibendos carnis impetus, & exercitium virtutis, vtilissima foret:& si quando, tum maxime necessaria esset: vbi tanta & stupẽda dona à Deo impetrasset, quorum memoria facile superbire & insolentior fieri poterat.
2. Cor. 12. Sicut enim beatissimo Apostolo Paulo, ne magnitudine reuelationum extolleretur, datus est stimulus carnis angelus Sathanę, qui illum colaphizaret: imbecilla inquam corporis habitudo, morbis vexata caro, ita diuo Gregorio idem, ob eandemque prorsus causam successit. Prudentissimus animorũ medicus Deus ægritudine corporis, morbos curat animi: vt quam primum quis ex donis Dei gloriari velit, mox aduersa corporis valetudo deprimat & corripiat, veluti pharmacum quod sit huiusmodi ægritudini appositissimum. Adde,

duas

duas alias rationes præter eam quam retulimus, intercessisse, ob quas Deus voluit antiquos morbos in diuo Gregorio inualescere, perpetuoq; manere citra crimen lętale ab eo commissum. Primo ne quispiam ex facto gloriosi Pontificis crederet licere cuique pro infidelibus, cæterisque damnatis preces ad Deum fundere. Secundo ne exemplo sanctissimi viri cõmoti aliqui pro infidelibus vita functis orarẽt, & quod ipse diuino numine inductus fecit, reliqui auderent: terrore illis iniecto ex morbis diutinis, quos quandiu vixit perpessus est gloriosus Christi athleta. Absoluimus iam dubitationem, quæ præcipuè circa honestatem facti diui Gregorii pro Traiani anima orantis, versabatur, nunc ad aliam, quæ iustitiam & leges Dei cõcernit, accedamus. Durissimum quibusdam videtur à tartaro reuocari quemquam in requiem à tenebris in lucem; Deumque indixisse, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: & alibi. Sine fide impossibile est placere Deo: & tamen Traianum sine fide, sine baptismo, idololatrã in Christi martyres sęuientem, salutem fuisse consecutum: diuinamq; iustitiam passam fuisse huiusmodi hominem æterna supplicia euadere qui in idolorũ cultu & religione, impęnitens scelerum, quę in Christianos admiserat, ex hac fuerat luce subtractus. Ioan. 3. Hebr. 1.

Dece-

Decedenti autē lætali in crimine ex hac vita, æterna pœna ſicut gratiæ æterna gloria reſpondet: non igitur miraculum recipiendum erit, quod tot leges euertere, tot decretis aduerſari videtur. Hucuſque dubitatio progreſſa, à nobis propulſanda, & refellenda eſt. Referam tamen prius quorundam ſententias, vt maiori luce & ſplendore propoſita hæc controuerſia dirimatur. Melchior Cano. inſignis & doctiſſimus theologus inſtituti prædicatorum Epiſcopus Canarienſis, qui ingenio, eloquentia, ſuauitateq́ue dicendi plurimum valuit, his forſan rationibus inductus locorum theologicorum libr. 11. Cum de humanæ hiſtoriæ auctoritate agit, hanc de Traiano precibus diui Gregorii liberato hiſtoriam negat, inquiens. Traianum Gregorii precibus à gehenna liberatum, non vulgo ſolum, ſed diuo etiam Thomæ olim, iuueni Perſuaſum eſt. Perſuaſum eſt autem diui Ioannis Damaſceni auctoritate, cui diuus ſane Thomas plurimū deferebat. Nec verò hiſtoriā ego illam probo. Subiungit poſt pauca. Mirum enim eſt, hominem Græcum rem & noſtram, & toto (vt ipſe inquit) orbe vulgatam, Græcis ſuis prodidiſſe, quam hiſtoriā tamen omnis Latinorum ignorat. Hucuſque Melchiol Cano. Sed certe, vt quod ſentio ingenue fatear, hæc eius ſententia bis peccat, pace tanti viri dixerim, & nimia licentia, & hiſtoriarū quæ hanc

tractationem concernunt, ignorantia. Nimia quidem licentia, quod duos viros sanctissimos Thomam Aquinatem, & Ioannem Damascenum, petulanter carpserit, dum alterum quasi nimis credulum damnat, alterum quasi exiguæ fidei, imo & falsitatis traducit. Dicere enim diuum Thomã iuuenili ætate sicut & vulgns deceptum, immodestum est. Sancti enim viri, vt domicilia Spiritus sancti, templa Dei, vasa sacra, maxima cum reuerentia tractandi, & colendi sunt. Melius profecto egit diuus Thomas qui plurimum auctoritatis diuo Ioanni Damasceno detulit, quã Melchior Cano. qui paucam aut nullam vtrique. Sententiam illam probaturus diuus Thomas, multo plura reuoluerat, plura quam ipse cano perpenderat. Vastum enim illius viri sancti iudicium, non solet nisi re bene perpensa & examinata sententiam ferre (id quod iuuenilẽ ætatem in senilem sensus transformat,) & vltra diui Ioannis Damasceni, veritatem aliarum fuerat historiarum secutus. Ignorantiam autẽ historiæ fugere cano in hac re haud potest, qui asseruerit historiam omnem Latinorum hoc negotium ignorasse: Cum tamen Petrus, & Ioannes Leuitæ ab ipsomet diuo Gregorio accepe rint: Alter item Ioannes Romanus diaconus scripserit, Angelicanę historię testentur, Author ignotus coetaneus discipulorum ipsius beati Gregorij

diffuſe meminerit, ſanctiſſimæ duæ fœminæ Birgitta, & Macthildis ex oraculo diuino prodiderint: Sanctus Ioannes Damaſcenus ſuffragetur:nō ergo recipiendus eſt Cano. ſiue impugnationem ſanctorum, ſiue hiſtoriarum defectum nobis ingererere moliatur. Hominem reuereor & illius dignitatem, in re autem hac, vt falſa, ab ipſo libenter diſſentio. Gulielmus Altiſiodorenſis, quem plures ſequuntur in quarto Sententiarū cap. de damnatis aliter ſe ab hac dubitatione extricare nititur, dum Traianū fuiſſe à diuo Gregorio ſuſcitatum, baptizatumq́ue, ac præteritorum criminum pœnitentem in ſedes cœleſtes euolaſſe, credit. Verum cum nulla, earum quas commemorauimus, hiſtoria prodat, gratis videbitur eſſe dictum, nulloq́ue prorſus fundamento fulciri. Ex hiſtoria enim rei geſtę totum negotium pēdet, ad quam quicquam addere, vel minuere haud licet. Si enim diuus Gregorius Traianum ſuſcitatum baptizaſſet, aut publice id factum, aut priuatim. Si publice, publicum cunctorum, qui aderant teſtimonium pateſceret; ſi priuatim aliqui ſaltem interfuiſſent, qui aquam deferrent, qui Chriſma, diaconorum aliquis ſecretorum conſcius, qui rem tantam poſteritati prodidiſſet. Nullus autem repertus eſt qui diceret, qui vulgaret: ergo credibile eſt, ita non accidiſſe. Verum cum ſecreto potuiſſet ipſe Traia-

nus vitæ restitui & suscitari, & ad sanctum Pontificẽ deduci, & occulte baptizari & id diuus Thomas quarto Sentent. loco citato, vt probabile admittat, diuus Vincentius & diuus Antoninus, nos item vt pium, & probabile recipiẽdum ducimus: huic rei libenti animo assentimur. Ait enim diuus Thomas, De facto Traiani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus Beati Gregorij ad vitam fuerit reuocatus, & ibi gratiam cõsequutus sit, per quam remissionem peccatorũ habuit, & per cõsequens immunitatẽ à pœna, sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerũt à mortuis miraculose suscitati, quorum plures constat idololatras & damnatos fuisse. De omnibus enim similiter dici oportet, quòd non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem iustitiam proprioꝛum meritorum: secundum autem superiores causas, quibus prẹuidebantur ad uitam reuocandi, erat de eis aliter disponendum. Hæc D. Thomas. Quo fit vt salutem fuerit consecutus non absolute, sed præcedentibus Baptismo, fide, gratia, charitate, & pœnitentia ante actorum criminum, quæ olim admiserat. Solum cum ipso dispensatum à Deo, vt à carceribus infernis perpetuis redemptionẽ assequeretur & libertatẽ, (quod lex communis vetat) diuina dispensatio, & priuilegium peculiare tribuit. Bernardinus Corius ora-

tor & historiographus clarus, Mediolanensis, in vita Traiani commentum, seu somnium refert, quod nescio si ipse inuenit, aut ab alijs acceptum in suam historiam transtulit. Post 492.annos, inquit, à morte Traiani decursos, in sepulchro quodam à cæmentariis erutum craneum humanum, linguam habens adhuc incorruptam, quod portenti loco ad diuum Gregorium, tunc Romanum Pontificem, delatum, & ab ipso in Dei nomine cuius esset rogatum, imperatoris Traiani, respondit, cuius anima ab obitu in illum vsq; diem tartareis tormentis puniretur. Huius rei admiratione captus sanctus Pontifex, eiusdemque probitatis, & iustitiæ memor, preces cum lachrymis fudit ad Deum, & ita illius liberationem impetrauit. Quis autem non uideat huiusmodi fabulam sine iudicio esse confictam? Nam cum corpora imperatorum ea ætate cremarentur, cineresque Traiani intra auream pilam supra suã columnam fuerint repositi, quali in sepulchro à cæmentarijs repertum craneum ipsius est? Quomodo autem linguam incorruptam haberet, quæ igne proculdubio fuisset assumpta, etiam quando ossa aliqua semiusta seruarentur. Qualiter eos qui cineres in Bithinia collegerunt, in vrbem asportarunt, intra auream pilam reclusere, latuit hoc mysterium, cœmentariis reuelatum est? Absint procul fabulæ.

læ. Sed & aliam huic parum dissimilem quidam confinxerunt, nullo, nisi mendaci, innixam fundamento: habuisse inquam Traianum filium vnicum, imperij successorem futurum, qui semel equo vectus filium, vnicum etiam, viduæ protriuit & interemit, quæ apud iudices conquæsta, nec exaudita, ipsum Traianum Imperatorem ad bellum proficiscentem adiit, vt ius sibi interempti filii redderet, qui benigne acceptam vnigenitum suum abdicauit viduæ adoptiuum dedit multis fœminæ opibus, & muneribus elargitis. Commentitius iste filius Traiani, à quo patre genitus, à qua matre? absque prole namque Traianus & Plotina decessere. Quis auctor huius meminit? In qua historia refertur, siue Traiani, siue Gregorii? Decedenti namque absque liberis Traiano, oportuit Hadrianum cooptare, qui eius in imperio esset successor. Mirum omnes quotquot vtriusque ætate historias scripserunt, hunc filium tacuisse, & nunc demum recentibus istis patuisse. Hæ & similes aliæ, veris narrationibus, intersertæ fabellæ, certissimam historiam suspectam reddiderunt, & inter tot confictas varietates, dubietatis tenebras iniecerunt. Hactenus de istis figmentis. Ad locum vnde digressi sumus, reuertamur. Ioannes diaconus Romanus, qui diui Gregorij vitam scripsit libr. 2. capitul. 44.

vt pro-

vt propoſito argumento ſatisfaceret, inquit, Traiani animam non fuiſſe Gregorii precibus ab inferno liberatam, & in paradiſo repoſitam, quod omnino incredibile videretur, propter illud quod
Ioan. 3. ſcriptum eſt Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, nõ intrabit in regnum cœlorum: ſed ſolummodo dicitur ab inferni cruciatibus liberata: quod videlicet, poteſt videri credibile. Quippe cum ita valeat anima in inferno exiſtere, & inferni cruciatus per Dei miſericordiam non ſentire, ſicuti vnus gehennæ ignis, valet omnes peccatores pariter detinere, ſed per Dei iuſtitiam cunctos non valet exurere. Nam vniuſcuiuſque quantum meruit culpa, iuſto Dei iudicio, tantum ſentietur & pœna. Hucuſque Ioannes Diaconus. Cuius ſolutionem diuus Thomas admittit, & ea ipſe vtitur, quarto Sententiarum diſt. 45. Sicut & alia Altiſiodorenſis de Traiano ad vitam reuocato & pęnitente. Sed in quæſtionibus diſputatis de veritate quæſt. 6. articulo 6. nulli horum adhæret expreſsè, ſed ſimpliciter & abſolute reſpondet quaſi vtriuſuis tibi optionem dimittens: Et animam Traiani ſalutem fuiſſe conſecutam ſuppones diluit argumenta. Sed certe difficile crederem, quietem à pœna, & non integram ſalutem animæ Traiani Deum donaſſe. Tum quod Damaſcenus referat, oraculum quod cœlitus diuus
Grego-

Gregorius accepit hoc fuiſſe. Veniam Traiano do. Venia autem non dicitur proprie, niſi de culpa, & conſequenter de pœna, ergo ſalutem animæ Traiani Deus liberaliſſime impartitus eſt. Eximere præterea hominem à tartareis cruciatibus, aut ad tempus, vel perpetuo ſiebat. Si ad tempus, maius eſſet illi tormētum, retrudi iterum in barathrum & denuo torqueri, & ipſa etiam anxietas eandem miſeriam repetendi, tormentum eſſet, quod continuo cruciaret. Si autem perpetua, eius requies erat, vacare inquam à tormentis, quo loco erat poſt diem iudicii reponendus in barathro, loco purgatorii, aut limbo? In limbo quidem non eſſet, qui locus eſt deputatus infantibus duntaxat, qui originali peccato irretiti ex hac vita diſceſſerunt. In loco purgatorio eſſe non poſſet, cum excidio orbis ſuperueniente, vacuus relinquendus credatur. In barathro autem quid faciet, qui nullis ſicut cæteri tormentis torquebitur. Præſertim cum ſententia iudicis ferenda ſit abſoluta, vt illi in regnum, alii in ignem æternum ſint perducendi. Cum autem ſine pęnitentia ſint dona Dei, qui ſemel tormentis exemit perpetuo (vt mihi probabiliter videtur) credendus eſt exemiſſe. Cum autem nullus locus præter iſtos tres commemoratos ſuperſit, in quo illius animam collocemus, de ſumma Dei clementia, & liberalitate credendum eſt,

vel

vel illum tunc in cœlo repoſitum, vel poſt aliquot ſæcula, iuxta diuinam ordinationem reponendũ. de his autem ſatis. Ad aliam iam Dominici Soto theologi inſigniſſimi inſtituti prædicatorum ſententiam veniamus. Cuius ſanctimonia & doctrina clariſſima noſtro ſęculo extiterunt. Hic in quarto Sententiarum diſtinct. 45. queſtio. 21. articul. 2. cum hiſtoriam liberationis Traiani à diuo Thoma receptam non audeat negare, duriſsimam ſibi creditu dicit: tum oratione diui Gregorij, de qua re iam ſatisfecimus, tum quod aliquos damnatorum ex inferno ſuſcitari, qui poſtea in cœlum ſint euolaturi, videretur rationi prædeſtinationis aduerſum: conſequeretur enim quod aliqui prædeſtinati fuiſſent in inferno damnati, non ſimpliciter, ſed ſub conditione, niſi poſtea reſuſcitarentur. Nam veriſimillimum eſſe, inquit, in obitu cuiuſque ſententiam abſolute ferri, ite in ignem æternum, aut uitam æternam, qualiter eſt in die iudicii ferenda. Eadem autem eſt de Traiani anima ambiguitas. Verum neque liberationem animæ Traiani, neque reuocationem ad vitam infidelium & idololatrarum, veritati obeſſe, quam tuemur, ex mente diui Thomę, tum in quæſtionibus diſputatis de veritate quæſtio. 6. articul. 6. tum 4. Sententiarum diſtinctio. 45. quæſtio. 2. articul. 2. quæſtio. 2, ad 5. docebimus. Licet prædeſtinatio,

inquit

inquit diuus Thomas, numquam mutetur, orationes tamen & alia opera buona valent ad consequendum prædestinationis effectum. Nam prędestinationis effectus est salus humana, quę à Deo procedit, sicut à causa prima, sed eius possũnt esse aliæ causæ proximæ quasi instrumentales, quæ sunt ordinatę à diuina prędestinatione ad salutem humanam, sicut instrumenta applicantur ab artifice ad effectũ artis explendum. Vnde sicut prædestinationis diuinæ est effectus, quod iste saluetur, ita quod per orationes tales, vel merita talia saluetur. Et hoc etiam Gregorius dicit in libr. 1. dialogorum, quod ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Propter quod, vt dicit Boetius lib. 5. de consolatione philosophiæ: preces, cum rectæ sunt, inefficaces esse non possunt. Atqui Traianus à Deo, vt causa prima in numerum erat electorum adscriptus, sed causæ proximæ & instrumẽta futura huius effectus, preces erant à diuo Gregorio pro ipsius liberatione effundendæ. Illi autem, qui fuerunt miraculosè suscitati, quorum plures constat idololatras & damnatos fuisse, non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem iustitiam propriorum meritorum, secundum autem superiores caussas, quibus præuidebantur ad vitam reuocandi erat de eis aliter disponendum. Ita

G Traianus

Traianus quãdo ex hac vita migrauit in tartarum fuit retrusus, secundum præsentem iustitiam propriorum tunc meritorum, secundum autem superiorem causam, qua præuidebatur orationibus diui Gregorii iuuandus, erat de illo aliter disponendum. Illud autem argumentum, quo Dominicus Soto videtur vrgeri, quod Apostoli, ac deinceps alii euangelij promulgatores, plures inter gentes excitauerint mortuos, inter quos aliquot sua gentilitate damnatos, ita subterfugit, non suscitasse, inquiens, forte, nisi illos qui inuincibili ignorantia Christianæ legis laborantes, in lege naturæ seruari poterant, aut alios cathecumenos, aut christianos, atque adeo in purgatorio existentes. Verum fallitur ea in re Soto, vt multis exemplis inductis demonstrare possumus. Beatus enim Andreas Apostolus Philopatorem Sostrati filium, vnà cum triginta aliis octo infidelibus, mari submersos, & suffocatos, vitæ restituit. Sanctús Ioannes Euangelista Callimachum, quem serpens intra sepulchrum Drusianæ extinxerat, cui stuprũ mortuæ volebat inferre, qui viuæ copiam habere haud potuerat, ad vitam reuocauit: & ad bonam frugem reduxit: mortuus quippe fuerat lętali crimine implicitus. Beatus Matthæus Apostolus filium Æthiopiæ regis infidelem cultuq́ue tentum idolorum, suscitauit. Philippus Apostolus pon-

tificis

tificis filium, qui ignem ministrabat sacrificij, & duos tribunos infideles, qui mortui fuerant, suscitauit: vt habet Abdias Babiloniæ episcopus lib. 3. apostolicæ historiæ; 4. 7. & 10. Sanctus Apollinaris martyr postea filiã idololatram suscitauit Ruffi patritij ex consulis, Rauennæ præfecti. Beata Agnes præfecti filium idololatra, ipsamque volentem opprimere, à diabolo suffocatum vitali auræ restituit. Deficeret tempus si reliqua exempla prosequerer. Satis est è multis aliquot commemorasse: quo fit, vt ea in re sententiam feramus parum consentaneam definitioni Dominici Soto. Vt igitur principali argumẽto solutionem adiungamus: ita nobis de ea re statuendum est. Communes leges Dei sunt, nullus sine baptismo salutem consequitur, sine fide impossibile est placere Deo. Semel locis tartareis deputatus, illos haud vnqnam carceres potest effugere, quia in inferno nulla est redemptio: verum possunt aliquando ex peculiari Dei gratia & priuilegio dispensari modo, quo Sanctus Thomas loquitur supra in quarto, ob rationes aliquot Deo notas, nobis autem occultas, in comprehensibilia sunt enim iudicia Dei, & in inuestigabiles viæ eius. Arcana enim Dei quis nouit? aut quis consiliarius eius fuit? Traianus itaque imperator, qui secundum communes leges perpetuæ damnationi erat addicendus,

idem peculiari gratia ſalutem ex benignitate,& liberalitate diuina conſecutus eſt, conciliantibus eam ſuffragijs, & precibus diui Gregorii pro ipſius animæ liberatione effuſſis. Qui non erat in tartarum irreuocabiliter retruſus, ſed ad tempus, quandiu pro ipſo Gregorius oraret: & ita potuit tartareis cruciatibus eximi, qui non penitus, ſed ad certum & pręfinitum tẽpus illis eſſet torquendus. Et licet damnatis, qui in inferno cruciantur nihil eccleſiaſtica ſuffragia prodeſſe valeant, neque ullus poſsit eis opem ferre; ſed debeãt in perpetuum meritas pœnas luere, qui eas numquam perſoluere ualeant, verũ hoc attinet ad leges communes, non quod ſecus poſsit per peculiare priuilegium contingere. Quod Sanctum Ioannem Damaſcenum in vehementem admirationem trahebat. id enim ſtupendum factum verbis proſequitur: vix pro rei dignitate congruentibus, Falconillæ liberationem & Traiani inter ſeſe conferens in hunc modum. Falconilla vnius idololatriæ,& nullius, præter id criminis rea erat. Traianus vero multos etiam martyres nõ raro morti condemnauit. Mirabilis es domine,& mirabilia ſunt opera tua:miſericordiam tuam ineffabilem recte glorificamus: vndiquaque enim ad miſericordiam propenſus es. Sed gradum iam tandem reuocemus, & vela cõtrahamus ad tranquillumque por-

tum

tũ noſtra deſcendat oratio. Gregorius igitur pontificatus ſui primo, aut ſecundo plurimum anno, qui incidit in Chriſtianæ ſalutis D X C I. ſuis precibus Traiano Cæſari, cum iam ab eius obitu C C C C L X X I I I. effluxiſſent, liberationem à Deo, & ſalutem impetrauit. Si autem tanto miraculo, teſtimonium ferunt hiſtoriographi, ſi viri ſancti, ſi diuinæ vates, ſi conſentit, præter paucisſimos, theologorum vniuerſa ſchola, ſi atteſtatur diuus Ioannes Damaſcenus Gregorio ætate poſterior: Si diuus Thomas Aquinâs, quid eſt quod nos dubitemus? Hiſtoriæ receptiſsimæ, cur nos tenebras effundemus? Si hiſtoria hæc Romæ in diui Gregorij æde ſuper aram marmore inciſa eſt, cur ſine ratione factum? cur ſine iudicio eo loco celebri & ſacro repoſitam credamus? Si ſanctiſsimum pontificem Gregorium à crimine vendicamus, quod alii impudenter impingebant, ob preces ad Deum pro Traiani anima effuſſas: Si eius ſanctimoniam magis hoc negotium præclaram facit, ſi maximam illi gloriam conciliat, ſi beatiſsimo Gregorio X I I I. qui illius & nomen & ſedem meritiſsimus hodie tenet auctoritatem conciliat, & gratiam quod tanti ſit viri nomen & gradum ſortitus, quid eſt quod nos abnuamus? Si cuncta conſona ſunt, ſi cuncta cohærent; Si non eſt quod ambiguitatem merito faciat, nihil aliud ſu-

perest quam quod Dei immensam liberalitatem, & clementiam stupore & admiratione prosequamur, qui in sanctis suis adeo est mirabilis? Eius arcana iudicia æterna ratione innixa nihil ob imbecillitatem iudicij humani aliud inuestigantes, vaneremur. Absint fabulæ, valeant detractores, increduli abscedant, satis si pij, si candidi historiam hanc recipiant, credant, amplexenturque decus imperio, decus vrbi Romanæ, decus Hispaniæ, augentem, quam si pro rei dignitate minus apte, & diserte tractauerim, id totum tenuitati ingenioli mei tribuendum, qui non quod debui & volui, sed magis quod potui, præstiti.

FINIS.

REGISTRVM.

* A B C D E F G.

Omnes sunt Duerniones.

VENETIIS,

Apud Dominicum Nicolinum.
M D LXXXIII.

TRACTATVS
QVOD DIVVS HIERONYMVS STRIDONENSIS
S. R. E. PRESBITER FVERIT CARDINALIS.

AVCTORE F. ALFONSO CIACONE
Doctore Theologo Ordinis Prædicatorum
Pęnitentiario Apostolico.



VENETIIS.

Apud Dominicum Nicolinum.
M D LXXXIII.

SANCTISSIMO
D. N. GREGORIO XIII.
Pont. Optimo Max.

M. F. ALFONSVS CIACON minor ſuus Pœnitentiarius fauſta & fęliciſſima quæq́ue præcatur.

QVOTIES ſe mihi opportunitas obtulit, limina Sanctorum Apoſtolorum ad Vaticanum viſitandi, illorum numina imploraturus, toties Sacellum proximum Gregorianum Deiparæ Virginis dicatum, à V. B. magnis ſumptibus à fundamentis erectum, & nunc etiam maioribus exornatum, oculos in ſui admirationem rapiebat, cogebatq́ue gradum ſubſiſtere, dum ingentem excitatam molem, in eam gratiam & venuſtatem, qualis nunc eſt, conſurgere in dies, & coaleſcere conſpicarer: vixq́ue poteram depræhendere, ſuperaretne materia opus, an potius opus materiam, adeò alterum cum altero de pulchritudine certare videbantur. Nam quum infimam huius illuſtriſſimi Sacelli partem contemplarer, tot generibus marmorum, quæ colore, varietate, & nitore, gemmas & præ-

ciosissimos quosque lapides imitantur, distingui, & insigniri cęptam: quæ ex peregrinis & remotissimis totius Orbis terrarum regionibus veteres in Vrbem aduehenda summo studio & labore curarunt, materia vincebat opus, natura artem. Verùm quum fastigium eiusdem Sacelli conscenderem, intuererque massas vitreas in laminas formari, tot coloribus tingi, bracteas aureas vi ignis interseri, ex laminis segmenta seu tessellas secari, & in nouas formas, & picturas coaptari, quę peritissimi pictoris penicillo vix meliores aut similes delinearentur: tunc demum naturam arti subcubuisse, & de materia opus triumphasse, non citra stuporem iudicabam. Ars enim musco opere elaborandi, tot iam annis sepulta, tuis denuò auspicijs Beatissime Pontifex multò fœlicior renascitur, & priscum inuentum, iam dudum amissum, ceu recens tua opera è tenebris in lucem reuocatur. Et quod magis mirari possumus, in sublimi, & editissimo loco fornaces perpetuò ardent, frequentissimi artifices & numerosa hominum turba, variis ministerijs inseruientes, in aëris fermè regione viuunt, ita vt nouos populos, nouamque ad superos coloniam tuum fęlicissimum Pontificatum deduxisse suspicemur. Fossores metallorum subter terram habitant, & pro miraculo ducimus, homines subterraneos fore; at maius est, aericolas

existere,

existere, qui arduo & volucribus communi loco vitam transigant, diuersasque inibi artes exerceant. Quare vastissima, & immẽsorum sumptuum moles, non potuit, nisi à magnanimo & vigilantissimo Põtifice excogitari, & ab eodem magnificẽtissimo tentari, & absolui; qui huius generis multa & aggressus est, & perfecit. Structura igitur celeberrima, cui nihil est par, nihil est secundum, nulli magis quàm Gregorio XIII. decens, digna, & conueniens erat, qui tãta animi magnitudine viget, vt non nisi ad maximam se conuertat, vt in illam verè illud Martialis encomium dici possit.

Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Verùm in tanta rerũ maiestate hoc vnum quosdam excruciat, D. Hieronymum Doctorẽ Sanctissimum absq; insignibus Cardinalitijs, præter solitum & cõsuetum morem inibi depingi. Durum enim iisdem videtur in Basilica S. Mariæ maioris imaginẽ ipsius Cardinalitio sub habitu à piis coli, in eadem ara, vbi corpus eius quiescit: & in cęteris fermè Christiani Orbis templis, & in Sanctitatis Vestræ Sacello, eo honore & dignitate destitui. Quòd si ex traditione per tot sæcula transfusa ita in locis sacris depingi consueuit, non est cur illa veniat labefactanda. Quum enim Vestra Sanctitas religiosissima, & priscarum traditionum obseruantissima existat, nõ dubium, quin & hanc

tanto

tanto Christiani populi consensu, & applausu susceptam, eodem animo complecti velit. Licet autem hæc traditio parum aut certè nihil ad religionem spectet, quia tamen in exemplum trahi potest, alias maioris momenti, aut contemnendi, aut abolendi, conseruanda ea esset, ne iacturam alicuius alterius pateremur, dum tantopere hac præsertim tempestate auctoritatem & robur huiusmodi traditionum tuemur. quanquam & hæc alicuius ponderis, & non omninò inanis censeri debet, quum in honorem & decus Viri Sanctissimi non nihil cedat, & illud iure proprio repetere possit, & meritò conqueri, si auferatur. Nam si inter Cęlites eius dignitatis & gradus aliqua ratio habetur, cur in terris ab hominibus erit prætereunda? Italia Doctorem hunc Sanctimum genuit, Istria enim regione, & Stridone illius oppido, nunc vulgo, Sdigna appellato, non Dalmatiæ ortus. Hunc eundem Romana Vrbs puerum enutriuit, adolescétulum in Christo per Baptismum regenerauit, variis disciplinis erudiit, & virum postea ad ipsam redeűtem excepit: cur igitur eadem Italia præ aliis Christiani Orbis prouintiis maiores illi nõ honores impendet, & eadem Romana Vrbs non cum Stridone certabit, de potiori illi cultu exhibendo? Et quę semel in Presbiterorum Cardinalium Collegium, & consortium admisit, cur non perget

in tanto

in tanto viro gloriari? Non eſt facile poſſeſsione deturbandus, qui per tot ſæcula huiuſmodi Cardinalitio titulo eſt potitus. Tunc enim ſingula in celeberrimo totius orbis terrarum Sacello conuenient, dum Beatiſſimo Papa Gregorio, Hieronymus Presbiter Cardinalis adiũgitur, ſicut Gregorio Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, Baſilius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus ſubditur, locis cuiq; iuxta propriam dignitatem & gradum conuenienter diſpoſitis, & diſtributis, vt non quia latini ſolum, ſed quia digniores potiorem locum ſuper Græcos ſortiantur. quum igitur Sanctitatis Veſtræ ſtudioſiſſimus extitam, deuotiſsimuſq́ue quoad vixero ſim futurus, vtpote quia ab ipſa nuper peculiaribus gratijs, & beneficijs citra meritum, ob ſuam ſingularem benignitatem, & clementiam fuerim affectus, & à qua multa mihi polliceri, plurimaq́ue ſperare poſsim, & cui cunctas meas vigilias, & labores conſecrare deſtinauerim, nolens, gratias acturus, pedesq́ue Beatiſsimos ipſius oſculaturus, vacuus apparere, libellum ſeu tractatum, quem de aſſertione Presbiterij Cardinalitij diui Hieronymi aliquando confeci, in quo ſatis mihi viſus ſum pro tenuitate ingenioli mei traditionem eam communi conſenſu ſuſceptam, auctoritatem virorum illuſtrium, coniecturisq́ue non læuibus comprobaſſe; Beatitudi-

ni

ni V. dicandum censui, sperans eius rei argumentum præsenti hac occasione ipsi non omninò ingratum futurum, summoque suo iudicio, doctrina, & prudentia singulari, quod certius, & conuenientius fuerit comprobaturam, daturamque operam, ne vnico hoc ornamento in suo Gregoriano Sacello doctor Sanctissimus destituatur. Confidens fore, vt grati obsequij memor longęuū & fœlicissimum suis precibus Pontificatum V. S. sit impetraturus, quo non solum Sacellum Gregorianum, sed integram D. Petri Basilicam absoluere, & multas alias res præclaras, æternaque memoria dignas, suo sæculo edere, & perficere possit. Vale Beatiss. Pater, vnicum litteratorum patrocinium, miserorumque confugium.

QVOD DIVVS HIERONYMVS STRIDONENSIS S. R. E. PRESBITER FVERIT Cardinalis tractatus.

AVCTORE F. ALFONSO CIACONE Hispano Doctore Theologo Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiario Apostolico.

VETVS controuersia denuo suscitatur, fuerit ne B. Hieronymus simplex an Cardinalis S R. E. Presbiter, partim consentientib. partim repugnantib. eruditissimorũ virorum testimonijs, qui in ea re exploranda nonnihil & laboris, & studij adhibuere. Sunt enim qui credunt, simplicem tantum illum presbiterum fuisse, à secretisq́. Damasi Romani Pontificis, nullaq́. vnquam Cardinalitia functum dignitate. Sũt rursus, qui S.R.E. Cardinalib. Presbiteris adnumerẽt, & pro certo, & indubitato hoc affirment. Priores in eam sententiam induxit, nihil huiusmodi in suis scriptis B. Hieronymum meminisse, quùm minoris longè momẽti pleraq. de se ipso retulerit, quòd nunquam subscripserit se Cardinalem, presbiterũ tamen sæpissimè. Quã

vtiq. rem neutiquam silentio prætерijsset, sed vtcunq., si ita se res haberet, significasset. Auget vehementius eam opinionem, obscuros & ignotos esse auctores, qui testes ad id comprobandum inducuntur; parum sibi constare, dum variant, & contraria sentiũt, & hi Hieronymum S. Laurẽtij Martyris, illi S. Anastasiæ presbyterum Cardinalem faciunt. Proinde nulla eis videtur adhibenda fides. Non desunt prætereà, qui ignorantia historiæ decepti, sęculo D. Hieronymi ortam, seu à quoquã Pontifice institutam Cardinalitiam dignitatẽ negent; quare ceu figmentum quoddam illius Cardinalatum explodunt. His præcipuè rationib. adducuntur, qui Cardinalatui Hieronymi aduersantur. Posteriores autem firmiora tum monumenta, tum antiquorum longè aliter sentientiũ, testimonia mouent. Quorum profectò sententiam tantò præclarior, & verisimillior videtur, quantò magis à plurib. probatur, & ab vniuersa ferè multitudine, non sine ingenti applausu, & cõsensu suscipitur. Cui profectò eò libẽtius homines docti & pij subscribere debuissent, quò intelligunt honestiorem & acceptiorem singulis fore, veterumq́. testimoniis magis inniti: Quòd si nõ persuadere, saltim suadere aliquib. potero, paucos auctores in medium producendo, qui huius rei valeant facere fidem. Nihil subinde repugnãs, aut minus benè

cohærens deprehendent, qui huic denuò ſenten-
tiæ acquieuerint. Quòd ſi demum obiectiones à
principio propoſitas diluere pergam, omnis pror
ſus concertationis materia dirimetur. Cumq́. ordi-
ne quodam cuncta præſtitero, finem ſuum mea
hæc conſequetur tractatio.

Nemo erit adeò inops ingenii, qui neſciat, di-
uerſos fore, de quæſtionib. diuerſis profeſſores cō-
ſulendos, neq. vnum cuncta præſtare poſſe. Con-
certationes de Deo aut religione ad Theologos
examinādas deferimus: eas quę de ſenſu, & inter-
pretatione legum, ad Iuriſconſultos; ſi morbi infe-
ſtant, aduerſaq́. laboramus corporis valetudine,
ad Medicos accurrimus: Si de natura, aut motu
quæſtio agitatur, Philoſophi conueniendi: ſi de ſy
derib. & influxu corporum Cœleſtium, Aſtrono-
mi: ſi de terræ deſctiptione, Geometræ adeundi: ſi-
cut de numeris, Arithmetici. Stultus nanq. & val-
dè eſſet, qui graui corporis morbo laborāti, Theo-
logos adhiberet; aut ad Medicos res fidei deferret;
quum, quòd Medicorum eſt, promittant Medici,
tractent ſua fabrilia Fabri. Quiſquis is eſſet, non
minus incuſandus veniret, quàm qui diſtinctionē
colorum à cęco; muſicorum à ſurdo quæreret; aut
oculos perperam, de cōcubitibus; oculos vellet de
picturis iudicare. Neq. ſecus profectò faceret, qui
negocium hoc, quod in præſentiarum tractamus

 ab alijs,

ab alijs, quàm à propriis & genuinis fontib. deducere curarer; Historiographis inquam, aut qui historias suis scriptis miscuerunt. Proinde si D. Hieronymus presbiter simplex, an Cardinalis extiterit, non est à Theologis sciscitandum, quasi illud vel negare, vel asserere, sit pietati, vel Religioni cõtrarium. Neq. Philosophorum sententia expectãda, quum id neq. à natura pendeat, neq. necessitatem ita esse, aut nunquam fuisse, vllam inducat. Neq. ad Astronomos & Geometras hoc negociũ deferendum, qui demonstrationes mathematicas nõ exigimus, quib. illud comprobemus. Finib. igitur propriis cõtenti, alienis limitib. abstinebimus. Historiis nanq duntaxat iuuari volumus, aut auctorib., qui aliquid suis scriptis historiarũ interseruerunt; coniecturis, antiquis traditionib. communiorib. etiam opinionib. Quib. hęc nõ suffecerint, alia, quæ vltra sufficiant, nõ habemus. Primę, medię, infimę Classis auctores anteriori loco proponam, dein ad reliqua suo ordine properabo.

Inter primæ classis auctores, qui coniuncti fuerunt sęculo ipsius Hieronymi opportunè nobis occurrit Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, qui vixit sub Theodosio Imperatore anno Christi 400. Is scribens ad Augustinum de vita B. Hieronymi, sic inquit: Hieronymus dum in Romana adhuc esset Vrbe o. Damasi Papę & Sacræ Biblioth

cæ scrutata Diuinorũ Decretorum voluminũ, dũ per triennium continuum charus, acceptusq́. popularib. veneraretur, omniumq́. iudicio Pōtificatu dignus decerneretur, ordinatusq́. à pręfato Papa Cardinalis fuisset; quidam ex clericorũ monachorumq́. ordinib. pro petulantia, ingluuieq́. sordentes, ad effugandum de Vrbe eundem Hieronymum, qui vtrorunq. scribens vitia, eos reprehenderat, insidias parauerũt. Hucusq. Cyrillus. Eadem prorsus legũtur in sermone de vita B. Hieronymi, qui sermo additus fuit à Cyrillo, vt in antiquissimis manu scriptis exemplarib. habetur. Neq. incerti est auctoris, vt quidam, sed falsò probare nitũtur. Consentit huic Eusebius Cremonẽsis discipulus D. Hieronymi, scribens ad Theodoniũ Senatorẽ Romanũ, & ad Damasum Episcopum Portuensem, Sanctus item Petronius Episcopus Bononiẽsis, q floruit anno Christi 440. in tractatu Apophthẽmatum Selectorum Sanctorum Patruum, qui manu scriptus extat, hæc ait; Hieronymus vir in omni doctrinarum genere absolutissimus, S.R.E. presbyter Cardinalis quum ab æmulis suis accusaretur, ex voluminib. Origenis innumera in sua transtulisse opera, dixit: Laus quæ debet Origeni offerri, maxima est, & quum illum in meis operibus imitatus sum, illum imitari proposui, quem nobis & omnibus prudentibus

placere

placere minimè vereor. Constat autem S. Petroniũ coęuum D. Hieronymo fuisse, vtpote qui ex hac vita migrauit anno 422. & optimè subinde callere hoc potuisse. Diuus etiam Augustinus in sermone 25. ad Heremitas; legimus, inquit, Sanctum patrem Hieronymum Cardinalem fuisse in ecclesia Sancti Laurentii Martyris. Scio, continuo quosdã reclamaturos, sermones illos non esse D. Augustini, neq. à Possidio in indiculo illius operum recẽseri: proinde tanquam spurios, & nothos reiiciendos fore. Non desunt tamen, qui illos sermones, vt Augustini legant; inter eos est D. Thomas in quibusdam locis suę summæ Theologiæ. Sed non est nunc proteruiẽdi locus. Faciamus illos sermones non esse Augustini, vt isti volunt, saltim alicuius illos auctoris esse fatebuntur, quãtumuis propriũ nomen ignoretur: Nam à nemine hominum conscriptos fuisse, aut fieri, aut intelligi nequit. Erit igitur auctor iste recens, vel vetus. Recens esse non potest, quum in vetustissimis manuscriptis exemplarib. D. Augustini operib. hi sermones interserãtur; erit igitur vetus. Ex veterib. autem nemo, nisi vel ob singularem doctrinam, vel pietatem inter opera Augustini admissus est: Quales fuerunt, si historiã respiciamus, inter suos discipulos & coetaneos Fulgentius, Eusebius, Prosper, Primasius, aut Orosius: & inter recentiores, si ad disputationes

nes & tractatus referamus, Beda, Gratianus, Lombardus, aut Lanfrancus, qui ſummoperè doctrinę S. huius Doctoris fuerunt addicti. Quiuis horum, auctorum illorum ſermonum dicatur, momentũ aliquod, & pondus huiuſmodi teſtimonium habere poteſt, & debet. Niſi velimus multa Theologorum dogmata, multa præſentisſima medicinæ remedia, multa Philoſophiæ, & Aſtronomiæ documenta, multas demùm egregias hiſtorias refellere, quòd earum auctores ignorẽtur. Porrò illius ſęculi homines melius res geſtas & noſſe, & tradere poſteris valuerunt, quàm è recẽtiorib. quiſpiã. Immo vnicus illius temporis teſtis plus firmitatis & roboris habet, quàm recentiorum ſimul caterua. Nã hic, quòd nouit; iſti, quòd neſciunt edocebunt. Si igitur è veterum & priorum numero, eum auctorem meritò exiſtimamus nec fallere, aut decipere quenquam in ea re voluiſſe credendus eſt. Præſertim quum ex huiuſmodi commẽto, nihil ſibi vtilitatis accreſceret, nõ fauorem humanum aucuparetur, aut auram popularem captaret, nõ aliud illum eſſet emolumentum reportaturus, quàm mẽdarii argui, quòd notior tunc & manifeſtior ea res eſſet, quàm nunc ſit. Aut certè ſi hæc non ſatisfaciunt, proferãt nobis ipſi ex antiquiorib. aliquem vnum etiã ignotum, qui hoc neget, ſicut nos producimus, qui affirmet. Nam qui aſſerat, quempiã,

qui

qui inficietur, neminem, quod sciam, reperimus. Et vt singula expendamus, historia illo sermone tradita aut omninò recipienda, aut omninò refellenda, aut partim recipiēda, aut partim refellēda.

Si omninò recipienda, nulla erit posthac cōtrouersia, quum idem omnes sentiamus.

Si omninò refellenda, stare vtiq. nequit, quum multa ex his Hieronymus fateatur epistola 99. scribens ad Asellam; vbi ob seuerè vitia reprehensa insidias sibi quosdam parauisse asserit, falsoq́. crimina imponere voluisse, &c.

Si partim rursus recipienda, partim refellenda huiusmodi historia venit, præter rationem vtiq. fiet, admittere, quæ velis; recipere, quæ nolis. Nā si fides adhibenda paucis, cur non singulis? cur non omnibus? Quòd si non singulis, neq. aliquib. deniq. fides adhibenda erit. Nam qui in paucis mendax deprehenditur, vbiq. suspectus est, & fide omnino caret. At isti facilè confitentur omnia, singula ferè admittunt, solum factum presbiterum Cardinalem Hieronymum negant, quòd iste auctor inter cętera asseuerat verum, quàm rectè faciant, ipsi viderint. Oporteret enim causas aliquot producere, quare historiam rei gestæ partim reijciant, quum partim admittant. Quòd si firmas & iustas causas non proferunt, prohibitò & temerè agere videbuntur; in eos undiq. ; onus deprauati

affectus,

affectus, quàm recti iudicij venient. Refutatur enim historia aliqua, aut quia res & personæ non conueniunt, locus dissentit, aut tempora non cohęrent. In huiusmodi autem historia, neque res aut personæ dissident, neque locus aut tempora discordant, consequitur ergo difficile à quoquam redargui posse. Nam si de rebus loquamur, constat, nihil repugnare, quominus id fieri valuisset. Romani tunc Pontifices erant, Cardinales Presbiteros, & Diaconos creabant, nouos titolos erigebant, assumebant viros graues, maturos, litteratos, & vndique locorum quæsitos, qui oblatum magistratum probe administrarent. Si personas Damasi & Hieronymi attendamus, fuerunt beneuolentia, & amicitia coniunctissimæ. Damasus diligebat Hieronymum, Hieronymus obseruabat, & reuerebatur Damasum; Damasus res fidei & quæstiones Religionis demandat Hieronymo, vt doctissimo, & maximè orthodoxo; Hieronymus in gratiam Damasi nouum instrumentum partim correxit, partim è Græco transtulit in latinum; Damasus in gratiam Hieronymi Halleluiach secundum Hierosolymitanæ, & Gloria Patri in fine Psalmorum secundum Antiochenæ Ecclesiæ vsum cantari in Ecclesia Romana præcepit. Officijs alter in alterum certat, vt vterutri potissimum cędendũ sit, nescias. Quis credat hoc vnum

Damaſi officium defuiſſe, Hieronymum dignitate Cardinalatia inſignire? Quod ſi ad locum deſcendas: Vnus fuit vtrique communis, vna Vrbs Roma ambos excepit, vna, vt creditur, domus habitatio fuit vtriuſque. In partem oneris Pontificij leuandi Hieronymus à Damaſo aſſumitur. Si tempus ſpectes, triennium Hieronymus cum Damaſo tunc Rom. Pontifice tranſegit ſumma cum familiaritate & amicitia. Multorum nanque Pontificum Hieronymus iam adultus ſęcula vidit Liberij, Damaſi, Siricij, Anaſtaſij, Innocentij, Zocimi, & Bonifacij. Conſentiunt igitur res, perſonæ, locus, & tempus; quid eſt, quòd vltra deſiderari queat, vt fides hiſtoriæ aſtruatur? Si enim honor, & dignitas, quædam etiam illo tempore Presbiteratus Cardinalis erat, quid eſt, quòd Damaſum auertere potuit, vt coniunctiſſimum ſibi amicum illo munere non impartiretur? Si enim potuit, & non voluit, non tantoperè, vt dicitur, illum diligebat. Si voluit, & non potuit; valdè auctoritas Pontificia conſtricta & exhauſta erat. Quum liberum præſertim Pontificibus eſſet, in nouos titulos Eccleſias erigere, & de mortuis Cardinalibus alios viros egregios ſubrogare. Occaſionem aliquam dices, Damaſus expectabat, nulla tamen interim conueniens ſe obtulit, vt Hieronymum Cardinalitio titulo ornaret. Sæpiſſimè

nanque

nanque prætermittunt facere Principes, quæ volunt, quia commodè & opportunè facere nõ possunt. At nulla potuit præclarior succedere, vt Hieronymum Damasus honestaret, quàm quæ subsequuta est. Nam per idẽ tempus non longe à Theatro Pompeiano ædem D. Laurẽtio Martyri sacram Damasus à fundamentis exædificauerat, in Cardinalitiumq́ue titulum erexerat, vt cuipiam viro celebri commendaret. Quid, quæso, conuenientius tũc Damasus facere poterat, quàm Ecclesiæ denuò à se constructæ, & sibi imprimis charæ Hieronymum præficere, cuius sanctimonia & litteræ toto orbe celebres maximã nouo titulo gratiam, apud omnes, & auctoritatem conciliarent? Cui coniunctioni personæ poterat templum sibi coniunctissimum committere. Pulchrè igitur quadrant Damasum ædificare Ecclesiã, in titulum constructam erigere, Hieronymum ad illius ministerium delegare. Si igitur rectè, vt dicimus consentiunt omnia, res, personæ, locus, tempus, occasio, oblata opportunitas & titulus, cur malignè historiam, illo sermone ad Eremitas traditam, & fidem simul auctoris labefactabimus? Nam si consentanea & rationi, & veritati dicit, recipiendus procul dubio nobis esset, sin minus oporteret dissidium, & repugnãtiam historiæ demonstrare, vt auctor nobis suspectus allegandus longius foret, manifestiq́ue

posſit mendaci conuinci. Damnare enim quempiam non conuictum præter rationé fieret, quum iura ipſa reclament. Iterum ſi ethnicos auctores tanto ſtudio à calumnijs tuemur, cur Piorum ſimili cura monuméta non defendimus? Cur famam illorum traducemus? Cur illos ceu mendaces & impoſtores diffamabimus? Abſit à Christiana pietate hoc crimen, vt falſitatis quempiam auctorem arguamus, ſi manifeſtiſsima nos mendacia non coegerint. Sed de his tandem dixiſſe, ſat ſit.

Ad alios mediæ claſsis auctores accedamus, qui inter vetuſtiſsimos & recentiores medii collocantur. Inter hos primus ſe offert Ioannes Kelde Pariſiéſis Theologus, qui vixit anno Chriſti 1200. in eo libro, quem de Vitis Sanctorum inſcripſit B. Hieronymi meminit in hæc verba: Hieronymus ſub tex Pontificibus fuit Romæ, & Cardinalis in Eccleſia S. Laurentii; vndè quum Romanos reprehenderet de auaritia deriſus ab eis, Roma egreſſus eſt, cum Paula & Euſtochio, quas in Chriſti fide erudierat. Item Vincentius Beluacenſis Ordinis Prędicatorum vir inſignis, qui floruit anno Chriſti 1244. lib. 16. Speculi hiſtorialis cap. 18. Diuum Hieronymum quum ætatis. 39. annorú eſſet Presbyterum Cardinalem Romę aſſerit. Idem quoque affirmat Ioannes de Columna Hiſtoricus Romanus Ordinis Prędicatorum, & Archiepiſcopus

Meſſa-

Messanensis, qui vixit anno Christi 1300. Sub Theodosij, inquit, Imperio multi viri clatuerunt insignes, & imprimis B. Hieronymus, qui ex Dalmatiæ partibus filius Eusebij fuit, qui Romam veniens ibi baptizatus est, & paulò post anno 39. ætatis suæ Presbiter Cardinalis est creatus. Ioannes item Andreas Bononiensis Iure Cõsultus, qui vixit anno Christi 1300. vrgenti deuotione, vt ipsefatetur, ædidit librum, quem inscripsit, Hieronymum opus. Qui liber in Bibliotheca asseruatur Vaticana. inibi namque legitur: Hieronymus quum esset annorum 39. Cardinalis Presbiter ordinatus est ad Titulum Sanctę Anastasię, in quo fastigio, quum multa dignitate, &c. Ioannes item Turre Cremata Ordinis Prædicatorum Episcopus Cardinalis Sabinẽsis, qui floruit anno Christi 1440. in quæstionibus, quas super Euangelia totius anni disputauit, & in summa Ecclesiæ libr. 7. cap. 83. latissimè probat, D. Hieronymum Presbiterum Cardinalem Sanctæ Anastasiæ à Liberio Papa fuisse creatum, diluitq; singulas obiectiones, quæ ab aliquibus in contrarium adferuntur. Auctor etiam sequentiæ, quæ in missa ipsius Sancti Doctoris in Ecclesia canitur, quam puto antiquiorem esse, quàm debeat in numero auctorum mediæ classis ascribi, eandem effert sententiam; Cardinalis, inquit, post effectus, ad Orientem

tem profectus est abiecto onere. In lectionibus itẽ vitæ ipsius Hieronymi, quæ in Breuiario ordinis Sancti Hieronymi leguntur, & dicuntur, decerptæ ex Augustino, Ambrosio, Liberio, Gregorio idem habetur, Hieronymum fuisse Romę Presbiterum Cardinalem. Et ne pergamus, molesti esse, de auctoribus mediæ Classis hucusque satis.

Veniamus ad recentiores, quos in extrema classe collocauimus. Quorum primus occurrit Ioannes Nauclerus Præpositus Tubigẽsis, qui vixit anno Christi 1500. in 2. suæ Chronographiæ libro, Generatione 15. Hieronymum doctorem sanctissimum Roma. Ecclesiæ Presbiterum Cardinalem profitetur. Philippus, item, Bergomensis Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui vixit anno Christi 1493. in 9. lib. supplementi Chronicorum eiusdem est cum superioribus sententiæ. Consentit M. Antonius Sabellicus libr. 9. Æneadis 7. Presbiterum Cardinalem Romæ Diuum Hieronymum nominatum. Andreas, item, Barbatia Syculus Patria Messanensis insignis Iure Consultus in tractatu de Præstantia Cardinalium quæstio. 1. communem fore opinionem ait, Diuũ Hieronymum fuisse presbiterum Cardinalem: scripsit autem illum tractatum ad Bessarionem Hicenum S. R. E. Episcopum Cardinalem Fusculanum tunc Bononiæ Legatum anno Christi 1470. Philippus pręterea

rea Probus non ignobilis, nec contemnendus auctor in 6. Decretalium tract. de Hæreticis. cap. per hoc. in sententiam aliorum descendit. Claudius à Rota Doctor Theologus Ordinis Prædicatorum in vita ipsius Hieronymi subscribit sententiæ etiã superiorum. Laurentius item Massorilus Fulginas in hymno D. Hieronymo dicto, sic canit.

Hunc tantum aspiciens generosi pastor ouilis
Fulgere Cardineo fecit honore virum.

Paulus vlterius Morigia Ordinis Iesuatorum in eo libro vulgari, quẽ de Origine, & Progressu inscribit cunctarum religionum, idem multis confirmat cap. 16. Supersedendum censeo à recentioribus reliquis, qui licet plurimi sint, nõ est otium nec consilium singulos euoluere, tum quia ingens fatigatio esset, tum ne fastidium & molestiam legentibus afferamus. Si enim propositi non sufficiunt, quantumcunque plures opponamus non faciet satis. Ad coniecturas ergò transeamus, quę fortassis alicuius momenti erunt ad hoc factum comprobandum. Constat Diuum Hieronymum ordinatum fuisse presbiterum quum trigesimum ageret annum à Paulino Episcopo Antiocheno, vt ipsemet testatur epistola 61. ad Pamachiũ; & Epiphanius epistola 60. ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum. Quum igitur omnes ferè conueniant, Hieronymum factum presbiterũ Ecclesiæ

clesiæ Romanæ, peculiare aliquid significare voluntur. Nam citra consuetudinem & vsum Ecclesiæ Romanæ erat, alios quàm Cardinales Presbiteros aut diaconos Ecclesiæ Romanæ appellari. Nam si ideò quispiam Presbiter Ecclesiæ Romanæ censebatur, quia secundum illius ritum esset ordinatus, omnes pariter & Presbiteri & Diaconi Orbis Ecclesiæ Romanæ & presbiteri & Diaconi dicerétur. Si autem ideò Hieronymus Presbiter Ecclesiæ Romanæ dicatur, quia Romæ fuit ordinatus, fieri prorsus nequit, vt idem & vnus Antiochiæ & Romæ ordinaretur: nisi velis fateri, bis illum in Presbiterum ordinatum, quòd sacrilegum esset cogitare. Superest igitur, vt Antiochiæ Ordinem Sacrum susceperit, Romæ Cardinalitius titulus accedens, ornamenta dederit Presbiteratus: & cum 30. anno à Paulino Episcopo Antiochiæ, 39. Romæ creatus Presbiter dicatur, necessariò colligimus, in altero de simplici presbitero: in altero de Cardinalitio sermonem factum. Sic enim consueuit dici, aliquos Episcopos Presbiteros creari, qui antea Episcopi erant, & Presbiteri: sed creari aut ordinari dicuntur excellentiori modo pristinum gradum Presbiteri aut Pręsulatus obtinere. Quòd autem Hieronymus Presbiter Ecclesiæ Romanæ speciatim & diceretur, & esset, extat inter cætera testimonium Adonis viri Sanctissimi, pariterquę

doctissimi

doctissimi Archiepiscopi Treueriensis, qui ante annos extitit 500 tempore Gregorij VII. & ob vitæ summam integritatem tantæ extitit auctoritatis, vt ab eodem Pontifice ad componendas res inter Henricum & Radulphum, qui de Rom. Imperio contendebant, vnà cum duobus collegis de latere Sedis Apostolicæ Legatus destinatus fuerit. Hic in libro, quem edidit de Vitis Sanctorum, vbi de Hieronymo sermonem facit; Hieronymus, inquit, vestem Christi puer Roma suscepit, ibique litteris græcis ac latinis apprimè eruditus est. Postquam autem omnium mundanarum studium litterarum adeptus est, probatissimorum quoq; monachorum habitum, factumque imitatus est, Romanæ Ecclesiæ postmodum presbiter ordinatus. Hæc Ado. Quæ etiam eodem tenore leguntur in 4. tomo Aloysij Lippomani folio 212. & in lectionibus Breuiarij Dominic. quæ leguntur in natalitijs Diui Hieronymi cum decreto Iulij 3. Rom. Pontificis iudicio, studio, & diligẽtia virorum doctissimorum, quibus illud negotium fuit in comitijs generalibus Salmãticę celebratis commendatum, vt amputarentur ab illo Breuiario omnia, quæ videbantur apocrhypha, & minus cohærentia, de B. Hieronymo legimus: Hieronymus ingenti doctrina ac sanctitate celebris Romam reuocatur, ac Presbiter efficitur Presbiterum autẽ Romanæ Ec-

clesiæ institui, aliter intelligi nequit, quàm nouo titulo insigniri, vt quia antea simplex, speciatim deinde, Presbiter Romanæ Ecclesiæ primarius diceretur. Primarij autem Presbiteri idem prorsus sunt, qui Cardinales, vt colligitur ex cap. Constantinus dist. 96. vbi hęc verba referuntur: Viris etiam diuersi ordinis reuerendissimis Clericis S.R.E. seruientibus illud culmen singularis potentiæ, & pręexcellētię habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloria adornari. Neq; ambigendum est, nomine reuerēdissimorum Cardinales intelligendos venire, quum adeò honorificum nomen, non nisi personis in magna dignitate constitutis conueniat, iuxta ea, quæ habentur in cap. In nomine Domini 24. dist.

Trahitur rursus & aliud argumentum ex verbis ipsius Hieronymi in explicatione 3. cap. Isaiæ, quãuis perperam à Gratiano referatur. 16. q. 1. ex epistola ad Rusticum; Ecclesia habet senatum, cętum Presbiterorum, sine quorũ consilio nihil monachis agere licet: Senatum quoque Romani habent, cuius consilio cuncta agebant, & nos habemus Senatum nostrum cœtum Presbiterorum. Quam sententiam, quũ Archidiaconus explicuisset, dicebat; nomine Senatus Presbiterorum quosdam Romanam Ecclesiam intelligere, quæ dicitur habere Senatum, id est collegiũ Cardinalium,

quibus

quibus Conſtantinus auctoritatem Senatorũ conceſſit, vt habetur in ſuperius citato cap. Conſtantinus 96. diſtin. erumpens in illa verba, vt idem bis repetamus: Viris etiam diuerſi Ordinis reuerendiſſimis Clericis Sanctę Romanæ Eccleſiæ ſeruientibus illud culmen ſingularis potentiæ, & præcellentiæ habere ſancimus, cuius ampliſſimo noſter Senatus videtur gloria adornari, id eſt, patritios & conſules fieri, nec non & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari. Quum igitur dicat ipſemet Hieronymus, nos Senatum habemus, videtur Cardinalium Collegium inſinuare, & ſeipſum vt collegam connumerare; quam quidem ſententiá probat Innocentius de re Iudicata.

Eſt & alia coniectura deducta ex verbis ipſius Hieronymi ſcribentis ad Geruchium & Monogramiam laudãtis, quæ ſic ſe habent: Ante annos plurimos quum in Chartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis Conſultationibus reſponderem, &c. Ex qua ſentẽtia facile colligere licebit, Hieronymũ ex primarijs Vrbis Romæ Presbiteris, vnum extitiſſe. Minus nanque adeò præclarum reſpondere conſultationibus, quæ ad Pontificum ex Orientis, & Occidentis Synodis deferebantur, vt illius ſententia, aut probarentur, aut improbarentur, vero haud ſimile apparet, alteri Presbite-

sbiterorum, quàm Cardinali demandari debuiſſe, neque prouintia ingens & ardua, ad alios honeſtius, quàm ad Cardinales Presbiteros ſpectabat. Quod certè clarius confirmat Damaſum miniſterio Cardinalium in ſimillibus munijs vſum, non autem ſimplicium Presbiterorum, aut Diaconorum. Extat enim antiquiſſima membrana manu ſcripta in Eccleſia Chatredali Aretina donationẽ refferẽs, quam quidam Zenobius Senator Romanus eidem Eccleſiæ tempore ipſius Damaſi Pontificis fecerat, in qua eſt huiuſmodi ſubſcriptio: Et ego Ioannes S. R. E. Diaconus Cardinalis ex parte Damaſi Pontificis laudo, & confirmo. Sub oleo ſugillaturos quoſdam vim huius rationis, reſpondentes; Hieronymum à Secretis Damaſi Pontificis fuiſſe, iuuaſſeq; illum in Eccleſiaſticis Chartis, conſultationibusque Synodicis reſpondiſſe, nihil pręter miniſteriũ Hieronymi in eo munere, in quo inſeruiebat Damaſo, ſignificare. Qui vt magiſter Epiſtolarum oracula ipſius Damaſi ſcribebat, dictabat, tranſmittebat vbiq; locorum, ſicut de more habent, qui à ſecretis principum miniſtri aſſumuntur. Verum hac euaſione tam facilè elabi nequeunt. Hieronymus namq; ſi huiuſmodi miniſterium ſignificare vellet, voce non vteretur arrogantiori, & inſolenti, iuuare inquam, ſed potius diceret inſeruire, aut miniſtrare Damaſo in chartis ſcri-

tis ſcribendis, neque adderet reſpondere Synodicis conſultationibus, ſed mitius loqueretur ſcripſiſſe, reſponſa dediſſe, tranſmiſiſſe, ordinaſſe, aut expediſſe; nō reſpondere, veluti auctoritatem vſurpans, quam ex ſolo miniſterio non habebat. Miniſtris namq; non conuenit, iuuare principes, ſed illis obſequi & inſeruire. Hoc ad eos præcipuè ſpectat, quibus principes arbitrium negotiorum committunt, ſe ab huiuſmodi cura ſubtrahentes. In hunc morē Romanus Pontifex facit, qui in partem Eccleſiaſticæ gubernationis Cardinales aſſumit, quorum opera & conſilio ardua, & grauiſſima negotia diſponit. Hi vtique iuuare Pontificem propiè dicerentur, vndè fratres eos & coadiutores Pontifex vocat, non miniſtros aut ſeruos, ſicut illos, qui à ſecretis, à cubiculo, à calicibus, à triclinio, miniſtrantes aſſiſtunt. Aliud igitur longè eſt, miniſtrum agere, aliud auditorem, & collegam, & diſſimillibus vocibus miniſtro vtendum, quibus non vtitur conſors. Nec credibile eſt Diuum Hieronymum, qui tanta vbique modeſtia, & ſubmiſſione vtitur, tumidioribus ſolito verbis ſuum miniſterium expreſiſſe. Quare cogatur nemo aſſentire, Hieronymum Damaſo à ſecretis fuiſſe, hoc vnico teſtimonio propoſito, qui in eam rem ſatis eſt ambiguum & obſcurum. Quum aliqui nolint, tot teſtimonijs adhibitis, tot coniecturis deductis,

Hiero-

Hieronymum Cardinalem Presbiterum agnoſcere. Quòd ſi liberè plerique agere volunt, plurimum teſtimonia contemnendo, cur etiam alius liber nõ erit, vt vnicum teſtimonium ob ſummam imbecillitatem refellat? Quidam ex hoc loco arguunt, Hieronymum à ſecretis Damaſi, alij ex eodem fonte Presbiterum Cardinalem deducunt. In quem ſenſum, quibus potior ſit adhibenda fides, aliorum eſto iuditium. Quanquam ſi magiſtrum epiſtolarum Damaſi, & Cardinalem Presbiterum poſt pauca creatum, Hieronymum fateamur, nihil piaculi admittemus, quum vtrunque poſſet ſucceſſiuè obtinere, & ambo, Cardinalis & à ſecretis munia obire: ſicut & hodiè videmus Ptolomeũ Gallium Ampliſſimum Cardinalem Nouocomẽſem Magiſtrum Epiſtolarum Gregorij XIII. Pontifi. Max. & Hieronymum Ruſticuccium Illuſtriſſimum Cardinalem Fanenſem, apud Sanctæ memoriæ Pium V. idem munus præſtitiſſe. Accedit demum alia cõiectura ex ſententia Auguſtini, quę à Gratiano in decretis recitatur cap. quanquam. 2. q. 7. in hæc verba; Quanquam ſecundum vocabula, quæ vſus obtinuit Epiſcopatus ſit Presbiterio maior, Auguſtinus tamen Hieronymo minor eſt. Vbi dicit Gloſa, quod Hieronymus fuit Presbiter Cardinalis. Idem dicit auctor gloſæ finalis in cap. Placet. 16. quęſt. 1. Quibus conſentit Cardinalibus

Turre

Turre Cremata in ſumma Eccleſiæ libr. 7. cap. 83. exponens idem caput quanquam nuper citatum. Quanquã Epiſcopatus ſit Presbiterio maior, ſcilicet ordine, Auguſtinus tamen Hieronymo minor eſt, adminiſtratione, ſcilicet, & dignitate: quoniã Hieronymus Presbiter Cardinalis fuit, & omnis Presbiter Cardinalis maior eſt quolibet Epiſcopo non Cardinali, vt quidam dicunt, & refert Hugo in gloſa. Hæc ſunt verba Ioannis de Turre Cremata Epiſcopi Cardinalis Sabini, ex quibus & ex textu Auguſtini & Hugonis interpretatione alicuius ponderis argumentum ſumitur. Et vt lucis his non nihil addamus, nomen Epiſcopi potius eſt ordinis & officij, quàm dignitatis, licet vtrunq; concernat. Cardinalis autem dignitatis eſt inſigne, nõ ordinis. Hinc Pontifex Romanus quum ordinem exprimere vult Epiſcopum ſe nominat, quum autem dignitatem, Papam, vel Pontific. Maximum, quòd ea dignitate cunctis emineat, & vniuerſa ei ſubſit Eccleſiaſtica poteſtas.

Addamus poſtremam coniecturam, quaſi coronidem quãdam, quæ reliquis ſuperiobus adiumento ſit ex verbis ipſius Hieronymi epiſtola 99. ad Aſellam; Antequam domum, inquit, Sanctæ Paulæ noſſem, totius in me Vrbis ſtudia conſonabant, omnium penè iudicio, dignus Summo Sacerdotio decernebar. Vndè colligere licet, tam

clerum,

clerum, quàm plebē Romanam propensissimam in Hieronymum fuisse, dignissimum Pontificatu acclamasse, studiaque illorum eò maximè inclinasse, vt mortuo Damaso Hieronymum subrogarent. Auertit eorum animos seuera vitiorum reprehensio, quam Hieronymus aduersus plebem, & clerum rigidus intonabat. Si igitur Clerus, & Plebs Romana oculos in Hieronymum coniecerant, vt in Damasi locū substituerent, consequens est Presbiterum illum Cardinalem fuisse, quum sęculo D.Hieronymi, & multis retrò annis nullus ad dignitatem Pōtificiam, nisi Cardinalis assumeretur. Quod clarius exempla Pontificum manifestant. Sanctissimi namque re & nomine Pontifices Marcellus, Miltiades, Magnus Syluester, ex Presbyteris Cardinalibus, Marcus, Iulius, Liberius, Damasus, & successores eiusdem, Siricius, Innocentius Celestinus, Leo magnus, Hilarus ex Diaconibus Cardinalibus in Romanos Pontifices assumpti fuerunt. Sex successiuè Pontifices ante Damasum, octo post Damasum Cathredam Petri Cardinales ascēderunt. Nam superioribus post Damasum tres alij Cardinales Presbiteri adnumerandi Zosimus, scilicet, Bonifacius, & Sixtus III. Si igitur nullus qui esset extra collegium Cardinalium ea adsumebatur ætate administrādo summo illi magistratui, miraculi loco esset, oculos cōijcere

in Hie-

in Hieronymum, vt Pontifici non Cardinalis substitueretur. Multa huiusmodi possent in confirmationem huius sententiæ àdduci, & replicari: Sed ne diutius molesti simus, ad traditiones veniamus, quæ maximum habent, & semper habuerũt momentum ad veritatem aliquam roborandam.

Ante annos 300. consueuit, D. Hieronymus in muris templorum, & in tabulis tum publicis, tum priuatis depingi cum Cardinalitijs insignibus, paludamento, scilicet, pileo, & galero purpureis. Extant enim & durant ad hunc vsq; diem picturæ antiquissimæ, quæ hodiè in templis etiam vetustissimis visuntur, quæ depræhenduntur trecentos annos vel attingere, vel superare, testimonium subinde reddentes tanquam taciti; & multi testes, D. Hieronymum presbiterum fuisse Cardinalem quadam veluti traditione per tot tempora deducta, & à maioribus suscepta, & probata, res procul dubio confirmatur. Non aliter certiores reddimur, Diuum Christophorum proceræ & giganteæ cuiusdam magnitudinis extitisse, quàm picturarum attestatione, quæ solent in templis & vbique locorum esse frequentissimæ. Et licet Sęculo D. Hieronymi purpura non induerentur Cardinales, nec galero, aut rubro pileo vterentur; quum pileus ruber primùm ab Innocent. 4. ad honestandum eum magistratum excogitatus sit anno Chri-

ſti 1244. Purpureæ autem veſtes, & galerus à Paulo 2. Pont. Max. Veneto anno pluriũ minimumuè. 1466. tamen viri pij eo modo depingere conſueuerunt ornamenta, & inſignia Cardinalium antiquorum, qualia nunc in vſu recentioribus exiſtũt. Sic D. Petrum, & illius in Pontificatu ſucceſſores, vſque ad Syluestrum magnum, mitratos, & pluuiatos depingimus, quanquàm nondum vſq; ad ætatem Conſtantini Cæſaris ea ornamenta à Pontificibus geſtari ſint ſolita. Sic ſanctas Virgines habitu, quo nunc puellæ incedunt; Sanctos Apoſtolos, & Martyres veſtibus depingimus nobis familiaribus. In eundem fermè modum antiquos Cardinales purpuratos pileo, & rubro galero inſignitos exprimimus, quod habitum ornamenta & inſignia, quæ ſua ætate geſtauerint, ignoramus.

Accedit ad hæc conſenſus multis retrò ſæculis non ſolùm popularium, ſed etiam virorum eruditorum, qui in ea communiter perſiſtunt ſententia, ita autumant, ita ſcribunt, ita docent in publicis & priuatis colloquijs, vt nullus cuipiam dubitandi locus relinquatur. Quotus enim quiſquam eſt, qui ſe audeat opponere multitudini? Eruditi fauent, ineruditi affirmant, viri & fœminæ, ſenes & iuuenes, puellæ & pueri in eandem coniurarunt ſententiam. Quid eſt, quod nos etiam non concordare debeamus? Non eſt profectò contemnen-

da concors & vnanimis multorum ſententia, quæ ſi non efficax argumentum, maximam ſaltem res, in cuius confirmationem inducitur, vim & opinionem facit. Deſcendamus tandem ad obiectiones propoſitas diluẽdas, quod vltimo nos loco facturos polliciti ſumus.

Nemini admirationem moueat, Diuum Hieronymum à pleriſq; Presbiterum ſolum dici, nec ipſum aliter, quàm Presbiterum ſe ſubſcribere, id nomen ſemper in Eccleſia Romana honoris fuit: legimus enim duos presbiteros ab vno vel altero Põtifice ad Concilia miſſos, vt in eis loco ipſorum Pontificum præſiderent. Quòd ne vtiquam fieret, niſi illi, qui ſimpliciter Presbiteri dicuntur, Cardinales eſſent. Alij.n.ſimplices Presbiteri in Cõcilijs nec loquendi quidẽ, tantùm abeſt, vt cęteris præſidendi locum vnquam conſequuti fuerint. Abſurdum namq́ue eſſet ſentire Summos Pontifices Romanos adeò illis excellens miniſterium demãdaſſe, quò vniuerſis Epiſcopis in generoſibus Synodis congregatis ſuperiores conſtituerentur. Multoq́; minus admirandum erit, ſi ipſe Hieronymus eo titulo non vtatur, quum hoc ætate Hieronymi cõe fuerit, ſemper eam excellẽtiam in ſubſcriptionibus ſupprimere, nec ſe rariſſime Cardinales appellare. Quũ.n. in concilijs à Beatiſſimis pontificibus, Simacho. I. mox Gregorio Magno celebratis,

quàm plures tam Presbiterorum S.R.E. Diaconorum ſubſcriptiones inueniantur, nemo tamen illorum ſe Cardinalem appellat, ſed ſic ſubſcribũt; Ego Ludouicus S.R.E. Presbiter, titulo S. Laurentii me ſubſcripſi. Inibique nuſquam [quòd certè animaduerſione dignum eſt,] Cardinalis eſt mentio. Quum tamen nemini ambiguum ſit, ea tempeſtate & Presbiteros & Diaconos Cardinales plures extitiſſe. Ideò verò ab ea appellatione, veteres illos abſtinuiſſe crediderim, tum quia per illam in vllo peculiari ordine reponeretur, quos Eccleſia ſacros uocat, tum verò ſubmiſſionis cauſa, quum ſublime aliquid ſaperet Cardinalis nomen, quo primarius & præcipuus inter cæteros Presbiteros, aut Diaconos notabatur. Accedit ad hæc, quòd id nomẽ illis temporibus erat quidem titulus additus officio Presbiterorum Parochorum, qui ob excellentius miniſterium potiori nomine vocabãtur, & ferè vt nunc diceremus, Reuerẽdiſſimus, & Illuſtriſſimus, ſic tunc Cardinalis, Presbiter dicebatur. At nunc quis, quæſo, Cardinalium Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum ſe ſubſcriberet? Ita Sanctiſſimos Martyres Laurentium & Vincentium Diaconos Cardinales à Xiſto Papa creatos conſtat, quos tamen non niſi leuitas veteres appellauere. Quòd autem eſſent Diaconi Cardinales liquet, tũ quòd Xiſto in ſacris miniſtrabant, quod

munus

munus nemini præterquam Cardinalibus cōceſſum, tum quia illorum alter Laurentius, ſcilicet, theſauros Eccleſię ſub cuſtodia ſua aſſeruabat, qui ſemper alicui Cardinalium, quem hodie Camerarium vocant, diſpenſandi, & aſſeruandi committuntur.

Tranſeamus ad alteram obiectionem, qua opponitur; auctores qui hanc hiſtoriam memoriæ tradidere, varios inter ſeſe eſſe. Parum ſibi conſtare, dum hi Sanctæ Anaſtaſiæ, illi Sancti Laurentij martyris Hieronymum Presbiterum Cardinalem faciunt. Quibus facilè eſſet reſpondere, vtrunque ſucceſſiuè potuiſſe fieri; & quòd primò ad titulum Sanctæ Anaſtaſiæ ſit nominatus, deinde à titulo Sanctæ Anaſtaſiæ ad Sancti Laurentij martyris ſit tranſlatus. Nam quotidie videmus, huiuſmodi mutationes fieri, & de vno titulo in alium quempiam Cardinales à Pōtificibus transferri: aut quia tituli ſunt honoratiores, vel certè opulentiores. Sic olim fieri ſatis compertum eſt, vt in antiquiſſimis diſplomatibus videre licet, & quod hodiè in vſu eſt, ab antiqua mutādi titulos conſuetudine emanauit. Colligitur ergo, duos ſucceſſiuè titulos ab eodem Pōtifice Damaſo, Hieronymo collatos, ita vt vno relicto alterum obtineret. Intellexi enim intra paucos dies Pōtificatu Sanctiſſimi Pij v. Cardinalem quēdam quatuor titulos mutaſſe. Quare

miran-

mirandum non eſt, ſi D. Hieronymus vnum intra annos aliquot ſolum mutauerit. Quòd autem Ioannes à Turre Cremata Cardinalis Sabinenſis à Liberio Hieronymum Cardinalem factum quum trigeſimum nonum ageret annum tituli S. Anaſtaſiæ pręter aliorum opinionem tradat, ingenuè fateor, me intelligere nõ potuiſſe, nec veriſimile apparere, quum ratio temporum ſatis diſſentiat: Cõſtat enim Diuum Hieronymum ex hac luce migraſſe nonagenario maiorẽ anno Chriſti 422. Vndè ſi retrò cedamus per tẽpora Romanorum Pontificum, reperiemus, natum illum 26. Pontificatus Magni Syluestri, anno à 16. autẽ Syluestri Pontificatus, anno vſque ad obitum Liberij Papæ 36. tantundem anni fluxerunt. Quare ſi à Liberio Papa Cardinalis factus eſt Sanctæ Anaſtaſiæ Hieronymus, non potuit triginta nouem annorum ętatem attingere, vt iſte auctor affirmat, vir alioqui doctiſſimus, & de Chriſtiana religione benè meritus. Condonandus eſt lapſus, ſi pro Damaſo Liberium repoſuit. A Damaſo igitur & non à Liberio Hieronymus Cardinalis Presbiter creatus, Sanctæ Anaſtaſiæ primùm, deinde S. Laurentij martyris. Nec obeſt hæc parua offenſiuncula, ſi vno auctore nonnihil ceſpitante, cæteri concordes ſcopum attigerint, & D. Hieronymi Cardinalatum citra calumniam, & impoſturas defenderint.

Sed

Sed iam tandem vltimum, quod nobis obijciebatur, diluamus. Ætate, inquam, illa Cardinalis nomē inauditum & inconſuetum fuiſſe. Quare errare eos, qui intra illorum magiſtratuum ordinem, D. Hieronymum reponunt. Sed proculdubio decipiuntur ipſi, totoq́; cœlo à veritate deuiant: nam initium & titulorum, & Cardinalium antiquiſſimum in Eccleſia Romana fore ambigit nemo; qui ſaltem in hiſtorijs mediocriter eſt verſatus. Nam Damaſus in libro, quem inſcripſit de Vitis Summorum Pontificum, titulorum conſtitutionem tribuit Cleto, quod etiam ex Damaſo refert Anaſtaſius Bibliothecarius, & ex vtroque Ptolomeus à Luca probatę fidei auctor, qui vixit anno Chriſti 1200. in eorundem Pontificum hiſtoria, quæ in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur. Hic Cletus, vt Damaſus ſcribit, & ex Damaſo refert Bibliothecarius, 25. titulos in Vrbe ordinauit. Deinde Higinius VIII. poſt Petrum Apoſtolū Pontifex circa annum Chriſti 190. in vnoquoque titulo ſeu paręcia plures eſſe Presbiteros ordinauit, quū vnus, vt antea erat, creſcente Chriſtianorum numero, non ſufficeret. Quòd, vt diximus, ex verbis Damaſi repetit Anaſtaſius in hæc verba; Hic Clerum compoſuit, & diſtribuit gradus. Hinc prodijt prima Cardinalium inſtitutio, vt is presbiter Cardinalis ſeu principalis diceretur, qui cęteris in

eodem

eodem titulo ſuperior exiſtebat. Satis enim conſtat, aliquot annis poſt Higinium etiam ante Beati Syluestri tempora Cardinalis nomen in Romana Eccleſia vſurpari cęptum fuiſſe, quòd non niſi ex Higinii Papæ inſtituto oriri potuit, quum antea eo nomine opus non eſſet, quòd ſinguli Presbiteri ſingulis titulis ſine aliorum conſortio præſiderent. Quòd autem Diuus Hieronymus ex his presbiteris vnus eſſe potuerit, qui Cardinales ſunt appellati, neque temporum ratio, nec inſtitutio titulorum, aut ipſorum origo Cardinalium repugnat, quo minus id credere debeamus. Quum ante ætatem Hieronymi centum annos vel circiter non ſolum nomen, ſed dignitas Cardinalitia in Eccleſia Romana viguerit. Si quidem in Synodo Romana ſub Sācto Syluestro 1. cui interfuit Conſtantinus Imperator anno Domini 324. cap. 3. ſic legitur: Presbiter autem Cardinalis, niſi 44. teſtibus, Diaconus autē Cardinalis alias Cardinarius conſtitutus Vrbis Romæ niſi 36. non condemnabitur. Quòd Gratianus in decreta tranſtulit. 2. q. 5. in hæc verba: Præſul non damnetur, niſi 72. teſtibus; Presbiter autem Cardinalis, niſi 44. teſtibus non deponatur; Diaconus autem Cardinalis Vrbis Romæ, niſi 28. teſtibus non condemnabitur. Quòd decretum citatur à D. Thoma. 2. 2. quęſt. 70. articul. 2. in 3. argumento, & cap. 6. ſtatuitur, vt

Diacones

Diacones non essent plures per paratiarum examen, quàm duo: Cardinales autem vrbis Romæ 7. ita tamen vt Dalmaticis vterentur, & Palla linostmia eorum læua tegeretur, & in 7. capit. eiusdem Synodi sunt hæc verba. Ita quoque Syluester clara voce dicebat ad Episcopos, qui 284. in ea Synodo psentes erãt, vt à Subdiacono vsq; ad lectoré omnes subditi essent Diacono Cardinalis Vrbis Romæ, in Ecclesia honorem repræsentãtes eidem. Prisca igitur Cardinalitia dignitas, & amplissimus iste senatorum Pontificiorum ordo ante Hieronymi ætaté institutus & propagatus est, vt nemini hinc liceat dubitare, Hieronymum in illum Senatum à quouis sui temporis Pontifice cooptari potuisse. Nec mouere quenquam debet, quòd in cap. Sancta Romana Ecclesia 15. distinct. dum auctorum piorum opera recensentur, & eorum lectio fidelibus commendatur. Opuscula etiã B. Hieronymi presbiteri interseruntur, non tamé addatur Presbiteri S.R.E. vel Cardinalis; sicut factum est, quum Opuscula S. Ioannis Chrysostomi referuntur, dum dicitur: Opuscula Beati Ioannis Constantinopolitani Episcopi. Quòd si D. Hieronymus Presbiter Cardinalis fuisset, nõ esset ea comendatione destitutus, sicut nõ prætermissus est, S. Ioannes Chrysostomus, qui Episcopus simul Constantinopolitanus insinuaretur. Non inficior

in illo Gelasii Papæ decreto Hieronymũ non Cardinalem, ſed Presbiterum dumtaxat vocari, contrario Cyprianum, Athanaſium, Baſilium, Hilarium, Auguſtinum Epiſcopos; verùm nõ fuit adeò curioſus, & ſolicitus Pontifex in huiuſmodi titulis congerendis, contentus docuiſſe, quos auctores legere vel fugere Chriſtiana plebs debuiſſet. Præſertim quum nomen Presbiteri ſæpiſſimè cum Presbitero Vrbis Romæ, aut Presbitero Cardinali apud priſcos coincidat. Quòd inter alia egregiè probat contextus accuſationis & purgationis Polychronij Hieroſolymitani Epiſcopi Pontificatus Xiſti I I I. quæ refertur. I. tomo conciliorũ ab Archidamo Presbitero ca. 7. in hęc verba: Xiſtus Epiſcopus Vrbis Romę conuocauit vniuerſam Synodum Epiſcoporũ & Presbiterorum Romanorum, clerosque in Baſylicam Conſtantinianam, & ibi ſedens cum Epiſcopis Cleroq; de omni Vrbe Roma aſtante. Sedentibus itaque 8 I. Epiſcopis, & 48. Presbiteris, & 6. Diaconibus, &c. Presbiteros vocat & Diaconos eoſdem, qui & Cardinales erant. Nam paulò poſt ſubiungitur; Ordinauit autẽ vniuerſa Synodus, & elegit de ſuo ordine tres Epiſcopos Caſtum, Fœlicem, & Abundium, & tres Presbiteros Vrbis Romæ Archidamum, Petrum, & Demetrium; & duos Diaconos Ciues Romanos Lollianum, & Leonem, & miſit eos Hieroſolymam.

ſolymam. Eſt cap.8.& ſubſcripſerunt omnes in eius damnationem Epiſcopi, numero 76. & duo Diaconi Cardinales Romani, & tres Presbiteri, & tres Epiſcopi, qui directi fuerant, concluſerunt, ſubſcribentes in eius damnationem. Qui antea ſimplices Diaconi referebantur, poſt pauca Cardinales eſſe dicuntur. Idemque prorſus de Presbiteris concipio. In epiſtola item quę à Concilio Africano ad Bonifaciū 1. Vrbis Romæ Epiſcopum mittitur, hæc referuntur; Quoniam Domino placuit, vt de his, quæ nobiſcum egerunt Sanctificatus noſtri, cóepiſcopus Fauſtinus, & conpresbiteri Philippus, & Aſſellus, &c. Quos conpresbiteros appellat, conſtat; Cardinales extitiſſe. Et pro Bonifacio Pontif. Romano legentes præſediſſe in eodem concilio. Quo etiam loquendi more vtitur Damaſus Hieronymo ſcribens: Damaſus, inquit, fratri & compresbitero Hieronymo in Domino ſalutem. Et ibidem in fine ſubiungit: Peto ergo per fratrem & Compresbiterum noſtrum Bonifacium, vt lubeat fraternitas tua rei huius nobis aperire veſtigia. Liquet autem Bonifacium, hîc à Damaſo Compresbiterum appellatum, Cardinalem fuiſſe, & ex Cardinali Pontificē Romanum creatum, poſt Damaſi, Siricij, Anaſtaſij, Innocentij, & Zocimi Pontificatus: Quare eoſdem Presbiteros, & Presbiteros R.E. & S.R.E. Presbiteri Car-

dinales aliquandò appellatos deprahendo. quare nō ab re mihi colligere videor, & à Gelaſio Hieronymum antonomaticos Presbiterum appellatum, quod quum poſt pauca ibidem Oroſium, & Seduliū recenſeret non illos presbiteros dixit, qui tamen proculdubio erant, vt aliquid in Hieronymi presbiterio peculiare inſinuaret. Vnde ordinem quendam ſequutus, primo loco Epiſcopos numerat, mox Hieronymum adiungit, poſtremo Sedulium & Oroſium commemorat. Sed Hieronymum presbiterum inducit, reliquos autem ſupprimit: eum ſoli Hieronymo honorem attribuēs, qui non ſimplex, ſed S. R. E. presbiter habebatur. Accedit ad hęc tempore Sanctiſſimi papę Gelaſij, qui vixit in pontificatu anno Chriſti 492. minorē multò rationem Cardinalium habitam, atq; nūc processu temporis factū eſt, electione pontificum ad Cardinales deuoluta, abrogato ab vſu Cæſarū deſignandi Epiſcopos Romanos, aut confirmandi, Clero & populo Romano à ferendis ſuffragijs, vt ſolebat, excluſo, vt ampliſſimus hic ordo, clariſſimusq́ue ſicut hodie cernimus, euaderet. qui plurimis deinde titulis & honoribus à diuerſis pōtificibus honeſtatus, Innocentio IIII. præſertim, & paulo II. Veneto in ſplendorē ac gloriam præſentem erupit. quum parum ante Gelaſium Cardinales longè Epiſcopis inferiores haberentur. In

Synodo namque Nicena Osius Episcopus Cordubensis duos Presbiteros Cardinales præcessit, qui simul cum ipso legationis vice pro Beatissimo Papa Syluestro fungebantur. Primus Osius sedit, proposuit, & decretis concilij in hunc modú subscripsit: Osius Episcopus ciuitatis Cordubēsis prouintię Hispanię dixit; ita credo, sicut superius scriptum est. Demum Cardinales Presbiteri subsequuntur; Victor & Vincentius Presbiteri Vrbis Romæ pro venerabili viro Papa, & Episcopo nostro S. Syluestro subscripsimus, ita credentes, sicut supra scriptum est. Et post Gelasium idemtidem in Concilio Romano sub Gregorio 1. tēpore Mauritij, Tiberij, & Theodosij Augustorum, Pontificatus eiusdem Gregorij anno 5. qui incidit in Christi annum 594. priùs cuncti Episcopi subscribunt, posterius 35. Cardinales Presbiteri, qui in illa Synodo interfuere. Nullus etiam illorum Cardinalis enuntiatur, sed tātùm titulos Ecclesiarum, quibus præficiebantur, adiungebāt. Vnde non est difficile, colligere, Cardinales, qui ea ætate viuebāt, presbiteros dumtaxat, aut certè Presbiteros Romanæ Ecclesiæ de more vocitatos. Esse, quàm dici Cardinales, vtique malebant. Quam cōsuetudinem sui temporis sequutus Beatissimus Papa Gelasius, solùm Presbiterum Hieronymum vocauit, nō simplicem, sed Romanę Ecclesię Cardinalem aut pri-

marium

marium innuendo. Et de obiectionibus propositis tandem satis, quibus pro tenuitate ingenii mei videor abundè respondisse. Nihil igitur residuum nobis est, quòd vltra præstare debeamus, quum id, quod à principio polliciti sumus, satis superq; absoluerimus. Si ergo quæ diximus tot illustrium virorum testimoniis cõstantia & firma sunt, quid nitemur Sanctissimum Hieronymum quantulacunque hac gloriola deturbare? Si adeptus, si prudenter eum magistratum administrauit; cur nolumus, illum habuisse? Repeti non possunt, quæ triginta annis pacificè possidetur; & post mille à Hieronymo, quæ cunctarum gentium consensu, & pace obtinuit, auferemus? Paucorum temporum spacium sufficiẽs est, vt res etiam aliena in dominium transeat bona fide occupãtis; & tot, quæ præteriere sęcula non sufficient, rem sibi propriam Hieronymo vendicare? Reclamet, & litiget, quantum velit, Erasmus, debachetur in Patres Purpuratos, Sanctissimum Hieronymum à Collegio, & societate Cardinalium mittatur deturbare; nusquam tamen proficiet, quod tentauit. Retrahere enim homines ab ea opinione non poterit, quam semel imbiberũt; imò eò tenacius insidebit animis piorũ, quò ipse acriùs labefactare conatur. Neq; valde curãdum est, si vnus nobis Erasmus aduersetur, homo ad calumnias & irrisiones natus, qui nihil

sibi

ſibi antiquius duxit, quàm traditiones impugnare, cæremonias ſingulas euertere, & demum demoliri, quæ pietatem ſapiunt cuncta. Atque is præterea fide caret, cuius monumenta omnia, vt religioni infenſa, Romana cenſura vt ſuſpecta abrogantur. Quòd ſi paucorum teſtimonia rem ambiguam, cur multorum nõ facient certam? Si paucorum ſententiæ ſat ſunt ad refellendum, cur tantorum non ſufficient prorſus ad probandum? Monumenta pleraque periere priſcorum auctorum, ſi extarent, forſitan non laboraremus. Nunc quia reparari interciſa nequeunt; ſelectorum virorum lectione deſtituimur; fidem paucis, qui ſuperfuerunt, neceſſe eſt tribuamus. Et quando cætera præſidia defuiſſent, communis conſenſus & antiqua traditio ad aſtruendam fidem præſtitiſſet. Si enim Gentilitia inſignia vetuſtis marmoribus, aut ſepulchris inſculpata antiquitatem, atque nobilitatem alicuius familiæ teſtantur, cur non picturæ & ſepolturæ tam longa ætate in templis aſſeruatæ, & à maioribus quadam approbatione ſuſceptæ longè firmius teſtimonium reddẽt Cardinalatus Hieronymi? Cur igitur Collegium Illuſtriſſimum Cardinalium tanto collega priuabimus? Cur illis tantum lumen eripimus? Cur ab ampliſſimo ordine Sanctiſſimum doctorem inuidẽtes ſubtrahimus? Quid incommodi ex huiuſmodi fide alicui inferimus?

rimus? Quid iniuriæ irrogamus? Quid gloriæ cuiquam adimimus? Si in Cœlis aliqua gloria pro eo magiſtratu probè adminiſtrato reſpondet, in terris, par eſt, humana etiam conferatur. Si iuſta, ſi conſentanea, ſi veriſimilia ſuademus, quid obſtat, quò minus ea recipiatur ſentētia, quę pietati concors, honori, & gloriæ ſanctiſſimi Hieronymi ſuffragetur? Si demum teſtimonia primæ, & mediæ, & infirmæ claſſis auctorum conſentiunt, ſi coniectura docent, ſi traditiones eandem nobis veritatem inſinuant, non eſt profectò quòd de Presbiteratu Hieronymi Cardinalitio dubitemus.

FINIS.

REGISTRVM.

*A B C D E.

Omnes ſunt Duerniones.

VENETIIS.

Apud Dominicum Nicolinum.
M D L X X X I I I.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm